




Kt 787<sup>a</sup>

Nel. 27









3  
HENRICI

BOCERI, IC. IN-

CLYTA IN ACADEMIA

Tubingensi Antecesso-  
ris; &c.

Orationes duæ;

I.

DE DIGNITATE, ET UTILI-

tate Academiarum, In promotione duorum  
*Iuris Candidatorum;*

Dn. HENRICI BAC-

MEISTERI ROSTOCHIENSIS, ME-  
gapolitani; & Dn. Georgii Wolfgangi

Silberman, Neuburgo-Palatini.

Anno 1615. die 15. Martii  
habita:

II.

DE LITERARIIS GRADIBVS; ET

*honoribus, In renunciatione duorum Iuris  
Candidatorum;*

Dn. IOHANNIS VLRICI Resch

Stutgardiani; & MICHAELIS Schweiberer Vien-  
nensis, Anno 1615. die 28. Martii publice  
dicta.


1615

TUBINGÆ,

Typis Theodorici Werlini.

ANNO M. DC. XVII.

C. H.



ca. 18







**H**A SUNT HODIE,  
 Rector Magnifice, Illu-  
 stres & Generosi Domi-  
 ni, Cancellarie dignissi-  
 me, Viri autoritate graves, pietate  
 venerandi, nobilitate insignes, & do-  
 ctрина Clarissimi; Vosq; adolescen-  
 tes cæteri nobilitate generis, virtute  
 ac literis conspicui; Corona Augu-  
 stissima, humanissima: Ea, inquam,  
 sunt hodie, eheu, tempora, ut suo  
 multi genio malo eam ad impieta-  
 tem, ne dicam, immanitatem, impel-  
 lantur, ut quod dignitate ac ampli-  
 tudine præstat summâ, Ecclesię quo-  
 que & Reipublicæ utilitatem adfert  
 non minimâ, odio acerbè premant:  
 quinetiam abrogatum prorsus, &  
 funditus sublatum cupiant: quam-  
 vis inde suum quoque & honorem  
 & commodum cumulatissimè per-  
 cipiant proprium.

A 2 Quis.

2 *Oratio Prima, de Dignitate*

Quis est ex omnibus, qui non videat hoc in genere, quam maximè suos patiantur manes ipsæ Academiæ publicæ? Obversantur cuivis ante oculos ubiq; gentium, qui singulari astu Diaboli in literarias universitates à laudatissimis Principibus singulari pietate, Dei omnipotentis in honorem; & communis commodi causâ institutas, & hucusque ab eorundem successoribus cōservatas, eâ æstuant invidiâ, ut si non modò eas radicitùs tollere, sed & memoriam ipsarum delere possent, omnes suos in hoc intenderent nervos quàm maximè.

Proh dolor, ait quidam, cottidiè evenire videmus, ut illi ipsi, qui Academiarum salutem jurarunt, & fidelitatem omnisq; generis promotionem juratò promiserunt, earundem persecutores & hostes infensissimi sint, literarumq; studia, quæ sola eos ad præsentem dignitatis & fortunæ stationem evexerunt, parvi faciant, totumq; literarium ordinem

nem fastidio & insolentiâ suâ despi-  
ciant.

Cæterum, ut magnitudo hujus  
impietatis manifestò ostendatur, ac  
immanitas insolentisq; animi impe-  
tus reprimatur, operæ pretium me  
facturum putavi, si præstantiam ac  
laudem Academiarum, meâ quali-  
cunque dictione, data mihi hanc ad  
rem occasione hac commodissima,  
in præsentiarum paucis aperue-  
rim.

Cum enim Academiis acceptum  
meritò referam, quicquid in me est  
facultatis vel ingenij vel animi, quo  
Reipub. commodare quacunque ra-  
tione modò possum; quamvis id exi-  
guum esse ut sentio, ita non inficior;  
cur earum salutem, quantum in me  
situm est, mea ope servare non con-  
tenderem?

Quò autem commodiori id ordi-  
ne fieri possit, dicam primum de A-  
cademiarum præclarâ, qua præstant  
dignitate, & amplitudine summa:  
Post de earundem agam tum utilita-

A 3 te,

4 *Oratio Prima, de Dignitate*

te, quam adferunt, plurima: tùm necessitate, quam habent, summâ.

Quæ duo breviter dum explico, tractoq̃ue, humiliter, officiosè, & amanter peto, ut Vestra Magnificentiâ, generositas, dignitas, amplitudo, & humanitas eadem benignitate, qua solent aliorum, mea quoq; verba audire dignentur.

Quid est, quæso, rebus in humanis dignius, quid præstantius, quid sublimius Cæsareæ Majestatis splendore? Illa est, quæ universum orbis Romani gubernaculum tractat; Illa est, quæ Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles creat; Illa est, quæ universo populo Romano leges condit, præscribit, imponit. Illa est, cui soli adversus gentis Romanæ hostes bellum indicere fas est, quæque Imperij amplissima feuda, Ducatus, Marchionatus, Baronatus per solennem investituram, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, ac Baronibus confirmat.

Sed

*De Utilitate Academiarum.* 5

Sed ab eadem Majestate veluti suo genuino fonte, literariæ cujusq; Universitatis ortum jure reputamus, ejusque institutionem, erectionem, fundationem, privilegiorum concessionem, & confirmationem acceptam illi referre, legislatione Theodosij & Valentiniani Impp. meritò jubemur: ut quæ publica auditoria aperiendi facultatem Cæsareæ tantum tribuit Majestati, & peculiari quadam interminatione aliis eodem interdicit jure,

*l. un. C. de studiis liberalib. lib. II.*

Cognoscimus idem quoque ex Camera Imperialis sacra ordinatione, cujus hæc formalia sunt verba: In Universiteten/welche zum wenigsten/ von vnseren Vorfahren/Römischen Keysern/ vnd Königen/der jetzigen Keyserlichen Majestät / oder vns confirmirt, gelesen / oder studirt haben.

Æquè promptum illud nobis est non modò ex saluberrima Friderici Barbarossæ quondam Augustissimi Romanorū Principis Lege quadam

*Auth. habita. C. ne filius pro patre.*

6 *Oratio Prima, de Dignitate*

Codici nostro Justiniano dignè inserta, sed & notissima Germaniæ cōsuetudine, & usu longævo, qui testatur disertè, jus instituendi, & erigendi Academias, ac publicè docendi auctoritatem à nullo alio, quam cœlesti, Cæsareoq; tribui Numine.

*d. l. un. C. de  
studiis libe-  
ralib. lib. II.*

*Ad Tit. Qua  
sint regalia,  
lib. 2. feud.*

Hinc Impp. ipsas Academias sua appellare Auditoria minimè erubescunt, ipsasq; Regalium societati suis in monumentis Doctores nostri rectè connumerant.

*Joachi. Ste-  
phani lib. 4.  
de jurisdic-  
t. Ecclesiast.*

Quod tamen non ita exaudiri volumus, quasi Universitates literariæ Pontificis Romani auctoritate olim in Germania fundatæ, & erectæ, pro legitimis agnosci, & haberi non debeant. Cum enim jus confirmandi Academias tam ad Imperatorem, quam Papam Romanum ex pacto convento pertineat, æqua certè putanda est conditio Universitatis cujusque, sive Regali, id est, Imperiali, sive Papali auctoritate, alicubi instituta & erecta dicatur.

Quamvis ergo Ducalis hæc florētissima

tissima Academia à Sede Romana ex Pontificali beneficio primum sit fundata, erecta & aperta, ac privilegiis plenissimè condecorata & munita; attamen non minorem obtinet dignitatem, ac si Majestatis Cæsareæ autoritate primitus instituta fuisset; Maximè cum annis ab hinc non ita multis, clementissimè procurante Illustrissimo Principe, ac Domino, DN. FRIDERICO, Duce Wirtembergico, & Teccio, Comite Mompelgartēsi, Domino in *Haydenheim* utriusque Regij Ordinis in Gallia, & Anglia Equite aurato, &c. Laudatissimæ recordationis Principe ac Domino nostro longè Clementissimo, Universitatis hujus olim conservatore & nutritore benignissimo, Cæsareæ Majestatis cōfirmatione ipsam roboratam, communitamque, ac ejus privilegia præsidio Impèriali armata esse non ignoremus.

*Vide Privilegia Universitatis Tubingensis.*

Extra Imperii Romani limites, aliis quoq; in Regnis, non nisi illius, qui summa Reipubl. gubernacula

A S suo

8 *Oratio Prima, de Dignitate*

suo jure moderatur, autoritate literarię Universitates eriguntur. Quod enim est Imperator in orbe Romano, id quilibet alius Princeps sive Rex suo in Principatu, & Regno, ubi superiorem non recognoscit; proindeque omnia sibi vindicat regalia, quę Imperator sibi in Romano Imperio adscribit. Hinc Ludovicus III. Gallorum, & Navarreorum Rex ex Magni Genitoris heroico voto Academiam in Parnasso instituit; quod opus tanti fecit, ut Musarum Ædi lapidem angularem propria manu posuerit, inclusis quatuor aureis numismatis regiis, quo opus illud suis auspiciis augustissimis tanto felicius surgeret, & diutius perennaret.

Quis ergo ita agrestis est animi, quis adeo barbarus, & inhumanus, ut cognoscere, aut intelligere non possit, quam sit amplissima Academiarum dignitas, & publicarum Scholarum eminentia?

Reputemus quęso cum animo nostro & illud, quod Academiarum  
jus



*& Utilitate Academiarum,* 9

jus non ad quorumvis merum mix-  
tumque imperium habentium pre-  
ces permittitur, neque in Urbe qua-  
vis erigi & institui à summo Princi-  
pe cuiquam conceditur, sed tantum  
ad illorum supplex desiderium &  
petitionem, qui post ipsum Impera-  
torem regalia possident jura, & in  
loco, ubi literaria Universitas aperi-  
ri desideratur, provincialia sive ter-  
ritorialia jura, die hohe Lands Fürstli-  
che Obrigkeit/sibi verè adscribunt.

*§. pen. in pro-  
æmio Dige-  
stor. & l. un.  
C. de studiis  
liberalib. lib.  
11.*

Quod si quisquam privata sua au-  
toritate Academiam suo in territo-  
rio quovis erigere posset, vilesceret  
non modò paulatim Universitatis  
literariæ dignitas, sed & occasio da-  
retur tum ad seminanda potius vi-  
tia, quam ad virtutes propagandas,  
tum ad evertendam magis veram  
Ecclesiam, quam ad synceram & pu-  
ram religionem conservandam, cū  
etiam damnatæ religionis patroni  
defensores ac propagatores suo pro-  
hibitu aperire Academias non dubi-  
tarent.

Quan-

*Per c. per tu-  
os, extr. de  
majorat. &  
obedi. Aud.  
Tiraquel. de  
Nobilit. cap.  
6. num. 7. &  
cap. 37. nu. 6.  
Cephal. con-  
sil. 615. n. 42.  
libr. 5. Ay-  
mon. Cra-  
vet. consil.  
282. n. 6.*

Quando verò Academiarum fun-  
datio & Authoritas ab omnium di-  
gnitatum culmine, ipso scilicet Ro-  
manorum Principe summo depen-  
dere constat, nec cuiquam alii, quam  
Imperij Statui, qui jure gaudet terri-  
toriali, Universitatem literariam in-  
stituendi potestas à Regia tribuatur  
Majestate, non potest quis inficias  
ire, amplitudinem publicarū Scho-  
larum non esse exiguam, sed præci-  
puam.

Id quod animadverti quoque &  
colligi facile potest ex eo, quod  
Imper. Friderico I. cui ex oris habitu  
Barbarossæ cognomētum dederunt  
optimo huic Principi etiam inter ar-  
ma Scholæ publicæ, & Musarum,  
cultores tantæ fuerunt curæ, ut ipsis  
privilegia cōcesserit præclara, & im-  
munitatem tribuerit variam multi-  
plicemque.

Ad hæc non est cuiquam pruden-  
tum virorum incognitum, dignitate  
eum præstare summâ, quem illustri-  
bus præornatum insignibus certò  
novimus;

novimus: Sed compertum habemus, & exploratum omnes, Principem Academiae cujusque approbatae Magistratum, qui Rectoris nomine merito signatur, sceptrorum habere jus, quod dignitatis cujusque eximia, & supremi alicujus honoris argumentum est certissimum; cum regium illud sit insigne, & non nisi Regibus ac Imperatoribus competat.

*Alex. ab Alex. Genial. lib. 1. cap. 28. Author Jo. omni virilarii, de potestate. seculari, & Ecclesiast. cap. 100. n. 4. lib. 2.*

Cum Ferdinandus Hispaniarum & Arragoniae Rex, autore & suasore Francisco Ximeno Cardinali, & Fundatore Academiae Complutensis, Collegium Ildephonsi ingredi vellet, ejusque Rector Academiae Patribus stipatus, pereuntibus de more Sceptrigeris obviam procederet; Rabduchi regij, qui & ipsi sceptragerebant, id conspicati, voce intentioni, ut sceptragere illa sua Regi submittant, aut deponant, acclamare coeperunt. At Rex nihil eam re Majestatem suam imminui sentiens, ut solito more procedat, jubet: Musarum, inquit,

inquiens, illas ædes esse, in quibus  
fas esset, ut Musarum sacris initiati  
regnarent; ut refert Philippus Ca-  
merarius *Meditat. histor. cent. 3. cap.*  
*65.*

Lovaniensi in Academia Rectori  
grande præfertur sceptrum, & in so-  
lenni processu, aut die festo, octo fa-  
muli cum suis præeunt cum sce-  
ptris, teste Lipsio *lib. 3. descriptionis*  
*oppidi, & Academiae Lovaniensis.*

Hinc Rectoris Academici munus,  
titulum & honorem, ipsi quoque Il-  
lustrissimi Principes, Duces, Marchi-  
ones, & generosi Comites in Acade-  
miis studiorum causa degentes haud-  
quaquam detrectant:

Meminimus, quod non adeò mul-  
tis ab hinc annis hujus laudatissimæ  
Academiae sceptrum sint commissa  
Rectoribus successivè electis, Illu-  
strissimis & generosissimis Principi-  
bus, & Dominis, Domino Johanni  
Friderico, Duci Wirtembergiæ &  
Teccia, Comiti Mompelgardie, Do-  
mino in *Heydenheim* / *re.* Domino  
nostro

nostro clementissimo, Patri & conservatori Universitatis hujus benignissimo: Domino item Augusto, Duci Brunsvicensi & Lunæburgensi; Ac Domino Augusto, Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bojariæ, Juliæ, Cliviæ, & Bergæ, Comiti Vententiæ, Sponhemii, Marcæ, Ravenspurgi, & Morsæ, Domino in Ravensstein/ &c. Quorum Celsitudinibus florentissimæ hujus Academiæ, ac domus, & mensæ meæ olim ornamenti pulcherrimis, Deus ter Optimus Maximus vitæ usuram paternè largiatur longævam, & prosperissimam.

Animadvertimus insuper Academiarum splendorem & dignitatem ex eo quoque rectissimè, quod in Actibus Academicis ipsi Rectores ex juris præscripto sequi non solent Ducem vel alium Principem in Academia studiorum causa versantem, cum ille, quamvis sit Princeps, Rectoris tamen imperio & jurisdictioni subjectum se agnoscat. Id quod

*Geminian.*  
*in c. A collatione, Tit. de Appel. Felin. in Rubr. de maiorit. & obed. n. 9. Menoch. de arbitr. ju-*

*dic. quast. lib.*  
*2. cent. 1. cas.*  
*68. n. 24. Lu-*  
*dovic. Bo-*  
*lognet. in*  
*Auth. Ha-*  
*bita. Cod. Ne*  
*fil. pro patr.*  
*Matth. Ste-*  
*phani de ju-*  
*risdict. lib. 2.*  
*part. 1. cap. 7.*  
*num. 135. &*  
*seq & lib. 3.*  
*part. 2. cap.*  
*11. n. 15.*  
*Ioach. Steph.*  
*lib. 4 de ju-*  
*risd. Eccles.*  
*cap. 13. n. 7.*  
*& seqq. Petr.*  
*Gregor. Tho-*  
*losan. in Syn-*  
*tag. lib. 17. c.*  
*4. nu. 19. &*  
*seqq.*  
*Matth. Ste-*  
*phan. lib. 3. de*  
*jurisdict.*  
*part. 2. cap.*  
*11. n. 18.*

quod singulariter quoque de exteris  
 Principibus in Statutis Academiae  
 hujus disertè cautum legimus; quæ  
 jubent, ut si exteri adsint Principes  
 sub Academia hac, illi non præce-  
 dant Magnif. Rectorem, sed unâ cum  
 ipso procedant. Quod si verò Prin-  
 ceptus aliquis Wirtembergicus adsit,  
 præcedentiæ jus cum omni ejus Co-  
 mitatu tribui Celsitudini ipsius de-  
 beat: quod certè juri communi con-  
 sonum esse agnoscimus, quo patro-  
 nis Ecclesiarum jus præcedentiæ  
 competit.

In Academia Patavina Rectori A-  
 cademico per Senatum Venetum hi  
 magni deferuntur honores. More  
 Senatorum purpuratus, imò si libet,  
 stola aurea amictus, & indutus ince-  
 dit completo Recto-  
 ratus tempore  
 dignitate cohonestatur Doctorali, &  
 per transmissionem Catenæ aureæ  
 in ordinem & matriculam Equitum  
 Auratorum S. Marci recipitur.

Principes quoque Megapolenses  
 de Academiarum dignitate suum &  
 præcla-

præclarum ediderunt iudicium, cū in transactione quadam Anno 1563. inita hunc sedendi ordinem servarunt, ut ipsorum Celsitudines primum tenuerint locum, Academia Rostochiensis alterum, tertium verò Collegium Consiliariorum, & ultimum Rostochiensis Senatus oppidanus.

*Ernestus  
Cothman.  
Respon. A-  
cad. 28. n. 14.*

Quin etiam ajunt, Carolum Quintum Imperatorem illum verè Augustum, cum fortè Lovanii esset, loco cessisse & latus Rectori Academiae Lovaniensis texisse, ut Lipsius refert.

*lib. 3. descri-  
ptionis oppi-  
di, & Aca-  
demia Lovaa-  
niensis.*

Tantę ergo dignitatis cum sit Rector Universitatis literarię, non immeritò, qui Magnificentiam ipsius injuriã afficit, ex sententia Dd. nostrorum, capitis poenã plectitur.

*Menoch. lib.  
2. de arbitr.  
jud. cas. 263.  
Middendorp.  
lib. 1. Aca-  
demiar. cap. 3.  
pag. 14.*

Non exiguus præclarę dignitatis splendor ipsis Academiis hinc quoque affulget, quod omnes penè in tota Europa institutę Academiae olim Episcopos, nonnullę etiam hodie eosdem Imperii Duces habent

*Auth. Habi-  
ta. ubi Dd. C.  
ne filius pro  
patre.*

B Cancel.

*Matth. Ste-  
phan. lib. 3.  
de jurisdic-  
t. part. 2.*

Cancellarios suos. Sic Megapolensis Academia, quæ est Rostochii, pro Cancellario habet Reverendissimum & Celsissimum Episcopum Suerinensem, qui idem sæpè Romani Imperii Dux esse solet. Gryphiswaldensis quoque Academiae Cancellarius constitutus est Camensis Episcopus.

In amplissimum Academiarum honorem accedit & illud, quod ipsis in omnibus Facultatibus potestatem creandi Doctores, Licenciatos, & Magistros concessam novimus.

*Guido Pap.  
decis. 68. n. 3.  
& decis. 388.  
in fin. Meno-  
chius consil.  
126. num. 18.  
Matth. Co-*

Etsi verò quidam, quos Palatinos abusivè Comites appellitamus, sibi quoque vindicent jus creandi Doctores, Licenciatos, Magistros; atamen ab his creati illi Codicillares sive bullati, cum vel omnino nullis, vel non accuratis examinibus adhibitis, per saltum quasi diplomate quodam ad dignitatem hujusmodi aliquam plerunque evehantur, non injuriâ Privilegiorum legitimè, ordinariè, & ritè in Academia quadam creatis,



creatis irrogatorum, expertes dicuntur.

Cum enim hi non ab Academicis Doctoribus, sed nummorum aucupatoribus, non in scientia, sed marsupio quid possint, examinati, ut Afini coronentur, ac rectius legum dolores, quam Doctores appellentur, hac sane via ad eum dignitatis gradum adscensus ipsis patere non debet.

Maximè cum Romanus quoque Pontifex Pius V. singulari quodam decreto, Anno 1568. Kalend. Junii, Bullatos, Doctores, Licenciatos, Magistros à Comitibus Palatinis amplius creari seriò vetuerit.

Potest quidem Romanorum Imperator, ut & Palatinus Comes, honores tribuere; at Theologum, Jurisperitum, Medicum, aut Philosophum facere non potest, ex sententia quoque Dionysii de Heliodoro, quem Hadrianus Imp. epistolarum suarum Magistrum fecerat, dicentis: Potest Cæsar pecuniam, & honores

B 2 largiri,

ler. de process.  
execut. part.  
2. cap. 3. Rutger. Ruland.  
de commissar.  
lib. 1. cap. 14.  
num. 8.  
Middendorp.  
lib. 6. Acad.  
dem. pag. 389  
Matth. Stephan. de jurisdiction. lib. 3.  
part. 2. c. 14.  
num. 78.

Middendorp.  
lib. 1. Acad.  
cap. 13. pag.  
129. & seq.

largiri, Rhetorem facere non potest.

De Academiarum dignitate & præstantia hætenus: Dicam deinceps, quod proposui, de earundem utilitate, & necessitate conjunctim.

*Aath. Habita, C. ne filius pro patre.*

Quid aliud sunt Academiæ, quam pietatis, & literarum Nutrices, quam principia quædam Ecclesiæ, quam Reipub. Christianæ seminaria, in quibus vita hominum ad obediendum Deo, & parendum Magistratui informatur sedulo?

Eruditur in his doctrinæ & humanitatis officinis ipsa juvenus optimis quibusque artibus; quod sane præstantissimus Oratorum Cicero loco habuit, ut munus Reipub. majus, meliusve adferri non posse affirmavit.

Tractantur ibi literæ, quæ in Ecclesiis & Rebuspub. non solum utiles, sed & necessariae sunt, cum sine illis communis hominum societas consistere omnino non possit.

Vivunt in illis, qui divinarum scriptura-

pturarum mysteria aperiunt; qui superstitiones, tenebras, & errores expromunt, & in lucem proferunt; qui veram ad coeleste regnum viam commonstrant: qui juris & æqui, nobilissimam scientiam profitentur, & in controversiis civilibus cōsilia petentibus de jure respondent: qui docent Adolescentes, qua ratione & modo fata causarum ambigua dirimant, suæque defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigant, fatigata reparēt, gloriosæ vocis munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendant: qui artis medicæ præcepta tradunt: qui Philosophiæ & politioris literaturæ studia sectantur, docent, discūt, in iisque se exercent.

*Cothman.  
Consil. Acad.  
dem. 23. n. 15.*

Magis ergo quam aqua, & ignis necessaria sunt literaria hæc Scholasteria, ubi non corpora caduca, & vermibus obnoxia, temporali tabe languentia, cibo ac potu mox perituro reficiuntur, atq; foventur; sed religionis, pietatis, Justitiæ, omniūq;

B 3      alia.

20 *Oratio Prima, de Dignitate*

aliarum virtutum studiis immortales hominum animi educantur, nutriuntur, informantur.

Quis nescit historiarum non ignarus, eas semper diutissime & feliciter floruisse Respub. in quibus artium, scientiarum, & Facultatum omnium Scholæ extiterunt: Contrà verò infeliciter gubernatas fuisse eas, ubi literarum Scholæ sprete jacuerunt.

O miseram Ecclesiarum conditionem, ipsis Academiarum tectis, parietibusq; destructis, sublatis, everfis, & usu earundem intermisso, relegato! Julianus, funestus ille Apostata, religionem Christianam, ut sperabat, everfurus, Scholas ademit, & bonas literas doceri noluit, artiumq; Professoribus silentium imposuit, Judæi cum divinas leges in Synagogis suis interpretari desierant, in horrendos errores, in Idololatriam prolapsi, & in Babyloniam abducti fuerunt.

Beatissima verò prædicanda Christi  
sti

ſti Eccleſia, ſi literariæ Univerſitates ipſi fulcra ponantur, ſi in illis Theologi ſynceri doctrinam cœleſtem profiteantur. Carolus Magnus, hoſtibus deviſtis, id antiquiſſimum habuit, ut Episcopatus, & Tempſa extrueret, eiſdemq; Scholas & Academies adjungeret, ne vel inermis religio, vel inanis ſapientia eſſet, ſed lux Evangelii, & veræ Sapientiæ ſplendor undiq; affulgens per Orbē diffunderetur univerſum. Cumq; in Gallia veram religionem languere intelligeret, literarum ſtudiis neglectis, aliquot ibi Academies erigi ſedulò curavit.

Ptolomæus Ægypti Rex, cum nō ignoraret, ſed probè intelligeret, religionem veram conſervari, ac propagari literarum ſcientiâ, Alexandriæ Scholam omni diſciplinarum genere aperuit, optimiſq; libris reſertam Bibliothecam inſtruxit.

Ipo Ptolomæo hac laude nō fuit inferior Theodoſius, qui, referente Calixto, omnes hæreſes, q̄ Eccleſiam

B 4 Chri-

Christi miserè vexarant, proscripturus, sacrorum librorum, eorundem-  
que interpretum conquirendorum,  
tam studiosus fuit, ut hac in parte ce-  
deret nulli.

Quæ esset, quæso, Reipub. facies,  
si expulsæ Academia, legumq; Pro-  
fessio, & scientia exularet? Quod  
Principatus & Regna florent, quod  
Ducum, Marchionum, Comitum  
provincia feliciter gubernantur, sa-  
cratissimarum legum beneficium  
est. Quod Magistratui à subditorum  
multitudine ac turba periculum  
impendet nullum, legum nostra-  
rum beneficium est. Quod Eccle-  
siam ab improborum injuriâ vide-  
mus salvam, nobilissimarum legum  
beneficium est.

Occurrant, agedum, hîc nobis sin-  
gulorum utilitates & commoda,  
quæ ipsis legum virtus præstat. Hæ  
suum cuique ordinem, in civitate  
assignant, ac honores, & præmia di-  
stinguunt; Hæ rem nostram fami-  
liarem sartam-tectam tuentur, fa-  
mamq;

mamque & innocentiam honestorum defendunt; Hæ uxorum, filiarum, totiusque familiæ nostræ castitatem illæsam conservant, fures, peculatores, abigeos, aliosque criminum reos dignis suppliciis coërcent; Hæ rebus omnibus sua precia imponunt, Mercatores florere faciunt, privilegiis ornant, maria illis itineraque tuta præstant; Hæ opificum industriam alunt, ac mercenariis fructus laborum dignos gignunt.

Quod quisquam dives est, quod fertiles possidet agros, eosque multos; quod quis castus est, ac linguam in alterius honorem non stringit maledicam, & continentes purasque manus habet, legibus id debet: quod laboribus interdum fatigatus aliquis, noctu molliter quiescit, legibus id debet: quod cõmuni luce fruimur, & quocunque libet pervagamur, quod in agris rusticamur, quod serimus, metimur, tritramus, sedemur, stamus alicubi, quod tranquillè placideque nostro pane potuque vescimur,

B 5 mur,

24 . *Oratio Prima, de Dignitate*

mur, quod studiis nostris commodè  
vacamus, Legibus id omne debe-  
mus.

Legibus sublatis nulli sua domus,  
uxor sua nulli suavissima, nulli sua  
pignora charissima, nulli opes suæ,  
sui agri, sua denique nulli cutis foret  
salva.

Artes interirent, commercia tol-  
lerentur, societates fraudarentur,  
cessarent officinæ, vacua essent ubi-  
que emporia, græca mercaretur  
quisque fide.

Omni igitur pietate venerandas  
meritò dicimus augustissimas Le-  
ges, vitæ humanæ Præsides, omnis  
felicitatis, omnisque boni datrices,  
malorum omniū expultrices. Fun-  
damentum illæ sunt libertatis, sunt  
fons æquitatis & justitiæ omnis: Ut  
non injuria Tyrannum dixeris, cum,  
qui non modò cogitatione, sed & co-  
natu omni in id maximè incumbit,  
suasque vires confert omnes, ut Aca-  
demias, legalis doctrinæ officinas,  
destruat, planeque aboleat.

Ars



¶ *Utilitate Academiarum.* 25

Ars Medica quid præstet hominum societati in Repub. quis non videt, quis non intelligit? Plinius sua *lib. 26. cap. 1.* ætate supra trecenta morborum fuisse genera scribit: Nova tamen cottidie invaluisse, & timeri coepisse refert. Id quod sequens seculum satis comprobavit, & nostra hæc ætas testatū facit abundè, nostriq; Medici indies maximè experiuntur.

Quod si hinc vilissimis illis erroneis, circumforaneis, agyrtis, circulatoribus, & impostoribus, à nullâ profus Medicæ artis peritiâ, sed omnis generis fraudibus bellissimè instructis, Medicinam factitare permiseris, certè ægrotorum de salute actum omninò erit; Cum non tam salubria medicamenta, quam pessima venena ipsis temerè propinare audeant, quibus non à morte ægrotos redimunt, sed in fauces ipsius miserè projiciunt.

Refert ergo multum, ac publicè cōducit plurimum, erectas esse & apertas Academias, Medicæ artis peritissimis

tissimis viris, Medicinam doctè profitentibus, institutas & exornatas, ut ita Adolescentes huic studio naturâ addicti Medicinæ præceptis egregiè erudiantur, quo aliquando præclara illa medendi arte rectè informati, hominibus auxiliares præstare manus, salutem impertiri, & vitæ ipsorum incolumitati utiliter consulere queant.

Non autem potest quisquam ad has supremas Facultates feliciter ingredi viam, nisi prius ab illis artibus, quæ orationem informant, & linguarum cognitionem differendi que rationem adferunt, tum etiam Philosophorum disciplina animum probè imbutum habeat. Philosophia est quasi clavis Minervæ, qua Athenarum portæ ad pixidem Pandoræ, hoc est, tres quoq; Facultates adquirendas referantur.

Lingarum scientia nudus, & orationis cultu ac elegantia vacuus, neque Præceptorum vocem capere, neque Scriptorum mentem assequi,  
neque

neque Doctorum virorum consortio frui valet.

Logica organum quoddam est, quo non modò cæterarum artium & disciplinarum omnium discendarum docendarumque ordo demonstratur; sed & de rebus omnibus acutè cogitandi, prudenter judicandi, & bonorum autorum scripta accuratè explicandi, argumenta legitime connectendi, & perversè constructa dissolvendi ratio planissimè traditur.

Non est incognitum, quot difficultates sæpenumerò in Theologia sese offerant magnæ: quot quantæq; in Jurisprudencia controversiæ graves & arduæ sese exhibeant: quot quamque obscuræ & profundæ in studio medico quæstiones occurrant, quas tollere, dirimere, & explicare sine beneficio logico non potest quisquam feliciter. Lumen itaque dialecticum cum omnes alias illustret disciplinas, & rationis humanæ vim explicet mirificè, publicis

eis in Scholis accendi quoque necessum est.

Et quia moralis Philosophia virtutum docet cultum, proindeque non tantum homines singulos, verum etiam regna, urbes, domos, ac familias ad optima quæq; informat, ac dirigit pulcherrimè, est certè & illa in Academiis fideliter juventuti infundenda; & maximè illis adolescentibus, qui Legum studio aut Medicinæ, animum suum adungere satagunt. Pandectarum quippe libros Ethicis præceptis, ac naturæ legibus, unde jura civilia per theses emanarunt, ubique refertos esse non ignoramus. Nec quicquam salutis adferre Medicus ægrotanti potest homini, nisi ex morali Philosophia animus ipsius probè curatus fuerit; cum affectus corporis ex pravis animi affectibus plerumque ductus inveniat. Unde quæso multorum catarrhi, unde capitis distillationes, & crebræ vertigines? unde oculi continuis lachrymis stillantes? unde manus

manu tremulæ? unde crura tumida? nonne sæpè ex intemperantia? quâ non intermissâ, nihil medicorum pharmaca, nihil venarum sectiones, nihil sudorum laxationes, nihil alia, quæ in Medicorum suppellectile asservantur, proficere poterunt. Longè tutius est morbos arcerè temperantia, quam attractos medicamentis depellere. Multò plus valet ante morbum mediocris abstinentia, quam in morbo terra lemnia, aut pomum Cydonium.

*Sperne voluptates, nocet emptæ dolore voluptas.*

Æquè ipsa postulat necessitas, ut naturalis Philosophia Adolescentiæ in Academiis tradatur fideliter; cum illius scientia indigeant etiam disciplinæ superiores. In Sacra Scriptura mentionem fieri de Maris fluctibus, de aëre, de tēpestatibus, & ventis notissimum est. In variis Jurisprudentiæ nostræ libris varios se exhibere casus de partu legitimo, de pubertate, de foeminarum abortionibus, de venefi-

veneficiis, aliisque rerum naturalium causis, non est cuiquam nostrum obscurum.

Medici quoque herbis, non verbis curant, ac in rebus naturalibus Professio ipsorum occupatur. Hippocrates, cum pestis universam penè Græciam absumeret, adversus aërem infestum, unde lues ea orta erat, ingentem sylvam exuri iussit; qua ratione Græciam, quam illiterati omnes & naturalis Philosophiæ expertes, conservare non poterant, incolumitati restituit. Galenus item optimum quemque Medicum Philosophum esse affirmat, & sine Philosophia artem medendi nec intelligi, nec exerceri posse liberè ingenuèque fatetur.

Habent quoque celsiores scientiæ, & ipsa Mathesis cōmune quoddam vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.

Cœlestis Scriptura agit de Cœlo, de Sole, de Luna, de Stellis, de Ecclipsibus, de Orbis Terrarum spacio, de temporū distinctionibus ac computatione.

putationibus, de numero variarum ætatum vario ac multiplici.

Jurisprudentiæ nostræ studium de assè, ejusq; partibus differit. Tractat de finibus agrorum, & locorum spaciis, ac dimensionibus.

Medicus quoque nisi temporum constitutiones, nisi quo ierint motu sydera animadverterit, nisi an Luna in cornua trāsierit curvata, aut æqua sit portione divisā, aut in orbem sinuata, & id genus alia, accuratè observarit, haud feliciter curare morbo oppressos valebit.

Non solum verò publicæ utilitati, sed & singulorum commodo Academiae serviunt magnopere. Illustres reddunt Principum Provincias & Urbes, in quibus sunt fundatæ & extructæ; confluunt ad eas studiorum gratiā variarum Nationum nō plebei solum, sed & equestris, quin etiam Generosi, Illustris, & Celsissimi Ordinis Adolescentes, elegans illud Cassiodori dictum perpendentes: Non potest esse in mundo aliqua

*lib. 10. varior.*

C fortu-

fortuna, quam non adaugeat gloriosa literarum notitia.

Ab his autem quotannis aliquot florenorum millia importantur; unde cives rem suam familiarem non modò conservant, sed & opulentiorrem & auctiorem faciunt; Filias suas ingenuè & piè educatas splendidius elocandi occasionem inveniunt; Opifices se suosque honestius nutriendi rationem capiunt, & pauperes egestatem suam facilius levant.

Et quia Universitas literaria domicilium est doctrinæ cœlestis, & thronus Christianæ religionis sinceræ, atque Justitiæ & æquitatis solium, sedesq; humanæ Medicinæ: accurrunt eò cottidiè ex variis regionibus, provinciis, & civitatibus, censuram & consilia in causis tum Ecclesiasticis, tum Politicis, ac Medicis ab ea desiderantes. Id quod etiam latinitatis parens Cicero intellexit, quando Jurisconsulti domum totius civitatis oraculum appellat.

*1. de Orat.*

Aspor-



Asportat civibus hanc utilitatem non minimam, quod filii ipsorum domi linguas & artes discere, ac parentes progressus ipsorum coram intueri & cognoscere, quandoque etiam spectatores honorum, qui ipsorum liberis publicè decernuntur, esse possunt.

Et si quo singulari gaudet privilegio civitas, in qua fundata est Academia, illud meritò ei acceptum est ferendum.

Hæc cum ita se habeant, evidens & perspicuum inde est, Academiam meritò ac jure dici matrem omnis virtutis, genitricem artium & scientiarum omnium, Ducem humanæ vitæ, Ecclesiæ, & Reipub. tutricem, fontem æternæ salutis, illustre totius mundi lumen, ut nec à Deo melius quicquam dari, nec à mortalibus optari majus unquam potuerit. Id quod agnovit, & probè intellexit Academię hujus fundator, laudatissimæ recordationis Princeps ac Dominus, Dominus Eberhardus, tū

Comes Wirtembergiæ & Teccia, &c. quando in exordio privilegiorum, quæ Universitati huic clementissime, benignissimeq; concessit, pio ex corde hæc præmisit verba:

Der ganzen Christenheit zu Trost/  
Hilff vnd Macht/wider die Feind vn-  
sers Glaubens vnüberwindlich zu  
geperen/habē Wir in der guten Mei-  
nung helffen graben den Bronnen  
des Lebens / darauß von allen Enden  
der Welt vnersichtlich geschöpffe  
mag werden / tröstlich vnd heilsamb  
Weisheit/zur Erlöschung des verderb-  
lichen Feners menschlicher Unver-  
nunfft vnd Blindheit/ Uns außer-  
wehlt vnd fürgenommen ein hohe  
gemeine Schul vnd Universität in  
vnsrer Statt Tübingen zustiffen vnd  
auffzurichten.

Non ergo injuriâ pio ex zelô te-  
tram & pestiferam dixeris beluam,  
ac tyrannum immanem, ex omni  
impietate confutum illum, qui o-  
mne suum in eo ponit studium, ut  
eò literariæ Universitatis Princi-  
pem

pem ac Patronum adigat, quo benignitatis suæ magnitudinem erga Academiam suam abjiciat, Clementiam, quâ Academicos Professores complectitur, ac benignissimè fovet, deponat, & averso animo in odium commutet. Hocce qui sunt animo in Scholas publicas, similes meritò dixeris illos Leonidæ, Caroli Magni Quæstori, monenti Majestatem ipsius, quod nimium in res sacras & liberales artes contulisset. Sed ipsis Principes, Academiarum Domini, piè ac prudenter respondebunt, quod ipse Carolus Magnus Quæstori suo: Si felix esse diu cupis, ne sis in Deum, res divinas, & liberales artes parcus atque sordidus: quæ profectò si non crescunt, alia omnia decrescunt.

Cogitabunt item de memorabili Gallorum, & Navarrenorum Regis Ludovici III. facinore, qui initio statim Principatus sui in Parisiensi Academia Professoribus Regiis stipēdia atque honoraria auctiora, lucu-

lentioraq; decrevit clementissimè.

Academia si negligatur à suo Patrono, frigescent honestæ discipline, ac demum barbaries & interitus Reipub. insequitur, ut ait Ludovicus Vives.

Et quia Academia, in qua profecimus, sit (teste Augustino) mater nostra, nutrix Ecclesiarum, & Reipub. conservatrix: cuculos non immeritò ingratos dixeris illos, qui privilegia & jura Academiae quoquo modo pervellere tentant.

Nos Deo maximas debemus gratias, qui talem huic Academiae Principem ac Patronum concessit, qui non minus, quam Illustrissimus Pater, cæteriq; Majores Celsitudinis suæ, eâ est in Universitatem hanc clementiâ, ut non modò ipsam factam-rectam perpetuò cupiat, sed & privilegia ipsius, & immunitates omnes, cum redditibus universis non tantum conservare, sed & augere, & amplificare clementissimè desideret; Proindeq; Celsitudo ipsius præcipuos,

cipuos, ac singulares Academiae Commissarios constitutos habet quatuor, Magnum Curiae Magistrum, Cancellarium Wirtembergicum, Praepositum Stutgardianum, & Consistorii Ecclesiastici Directorem; qui conjunctim loco ipsius Celsitatis curam & sollicitudinem totius Academici corporis agunt, & quotannis visitandum hoc Lyceum, omnesque ejus partes, non sine magno Clementissimae Celsitudinis ipsius sumptu huc mittuntur.

Huic Clementiae ipsius nulla unquam allatura est finem aetas, sed illa seculorum omnium memoriâ vigebit, posteritas eam alet, & ipsa aeternitas intuebitur semper.

Jehova noster, qui caelum & terram Majestate sua & potentia implet, qui Principum, Vicariorum suorum, corda regit & multâ sapiëntiâ instruit, Illustrissimae Celsitudini ipsius vitae usuram concedat longævam, & gubernacula Reipublicae Wirtembergicae omni felicitate,

C 4      perpe-

perpetua tranquillitate, ac pace adornet, animumque Celsitudinis ipsius constanti amore, & Clementia erga literariam hanc Universitatem, ejusque Doctores & Professores porrò etiam flagrare paternè faciat, ac universam Domum Wirtembergicam, Imperii Romani Decus illustrissimum, saluum & incolume eternùm conservet, per filium suum, generis humani Redemptorem, & Spiritum Sanctum, Amen.

Ut autem illud aggrediamur modò negocium, cujus nomine augustissimus hic & literatissimus institutus est congressus, intelligit vestra Magnificentia, Illustris Generositas, Reverenda dignitas, Nobilitas, Amplitudo, & humanitas, agi in præsentiarum de honore præstantissimorum virorum, quos in conspectum Magnificentiae, Generositatis, Reverendae dignitatis, Nobilitatis, Amplitudinis, & humanitatis suae adductos vident.

Uterque ille & natalium splendore &

re & propriæ virtutis luminibus ac ornamentis valet plurimum.

Unus ordine primus, Henricus Bacmeisterus, hanc in lucem editus est Rostochii, loco Academico nobili, ac celebri Urbe & copiosa, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluente.

Patre prognatus est viro reverenda dignitate Clarissimo, Domino Lucâ Bacmeistero, Lunæburgense, S.S. Theologiæ Doctore olim celeberrimo; quem primum Serenissimus Daniæ Rex, Fridericus secundus, tum etiam Illustrissimus Holstatiæ Dux, Joannes, Sunderburgensis, Præceptorem habuerunt, ut omni doctrina liberali ac virtute excultum, sic & diligentia, studio, cura, ac fidelitate laudabilem. Quo in munere cum ipsius, tum ingenii dotes, tum morum honestas, tum sacrarum literarum egregia scientia planè spectata esset, mortuo Christiano III. piissimo Rege, à vidua Regina ad functionem aulici conciona-

C 5 toris

toris adscitus fuit; quam cum per biennii spacium fideli sua opera & labore sustinisset, ad commendationem magni nostra memoria Theologi, Domini D. Davidis Chytræi, cum quo Witebergæ Philippi Melanthonis ætate per septennium familiarius vixerat, à Rostochiensibus ad Professionem Theologicam & Pastorum vocatus fuit: posthæc, D. Simone Pauli, Superattendente Rostochiensis ab hac luce subtracto, Ecclesiæ ibidem inspectio ipsi commissa ac demandata fuit: quo officio per lustra quatuor, sic & munere isthoc Professionis, ac Pastorum per integros quadraginta octo annos usque ad vitæ suæ finem, non sine magna Ecclesiæ utilitate, ac præcipua sui laude perfunctus fuit.

Avum habuit maternum Candidatus hic noster virum præclarissimum, Dominum Jacobum Bordingum, Archiatrum serenissimi Regis Daniæ, & Hafniensis Academię Professorum celebratissimum. Quâ etiam



iam sit famæ celebritate, qua autoritate Candidati nostri avunculus, Dominus Jacobus Bordingus, Jurisconsultus eximius, notum est Rostochiensis Academiae Illustri, cujus Antecessor quondam fuit celeberrimus; non ignorat Megapolitana Ducalis Aula, in qua Cancellarii gavissimum munus per annos sustinuit benè multos; neq; nescit inclytata Lubecensis Respub. cujus hoc tēpore venerandus senex septuagenarius obtinet partes Consulis primarii amplissimas.

Felici admodum sydere & natus, & conjugatus matrimonii vinculo parens hic meritò dicitur, ut qui præter hunc gnatum suum, jamjam Juris Utriusque Doctorem creandum, quatuor alios suo produxit factu filios literariis insignibus condecoratos, natu majorem nunc in terræ quiescētem ventre, M. Jacobum Bacmeisterum, inclyto Rostochiano in lyceo olim Theologiae & Hebraeae linguae Professore celeberrimum, qui

qui hujus Universitatis Doctores & Professores Theologos, viros summos, Dominum D. Jacobum Andreæ, Cancellarium & Præpositum; D. Jacobum Heerbrandum, Decanum; & D. Theodoricum Schnepfium, Pastorem Ecclesiæ Tubingensis, ultra quadriennium, audivit sedulo: alterum item filium Johannem, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, & Professore, ac Medicæ Facultatis Seniore in Academia: tum gnatum alium Lucam, Sacrosanctæ Theologiæ Doctorem & Professore Universitatis ejusdem per Annos sedecim; jam verò Megapolitani Ducatus Superintendentem: nec non filium Matthæum, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem in eadem Academiâ eximium, atque hunc natu minimum filium Henricum, Candidatum nostrum præsentem.

Verum igitur, quod Philosophorū Princeps Plato, vir extra omnem humani ingenii aleam positus, scribit:

bit: optimum esse & magnificentis-  
simum liberorum thesaurum, ipsam  
parentum virtutem, ac gloriam.  
Cum semina paternæ virtutis in i-  
psam quoque mittantur prolem.

Alterum quod attinet Candida-  
tum nostrum, Dominū Georgium  
Wolffgangum Silberman, Neubur-  
gum Palatinum; est & ille pariter  
claris ortus natalibus. Avus ipsius  
ex Thuringiæ Gotha, Historicis non  
ignoto oppido, oriundus, cum se in-  
de in Palatinatum Electoralem,  
Deo ita ordinante, recepisset, ac Na-  
biburgi rerum suarum sedem collo-  
casset, celebritas egregiæ ipsius fa-  
mæ effecit, ut in Palatinatum Neu-  
burgicum, ad Questuram Burcklen-  
genfeldensem & Berezhusanam in  
agro Norico, vocatus fuerit. Cui  
muneri hac ætate nostra Generosi  
Barones præfici solent.

Hujus filius, Genitor Candidati  
nostri, Dominus Gregorius Silber-  
man, J. U. D. celebratissimus, Con-  
silia-

filiarius, & Cameræ Serenissimi Principis ac Ducis Palatini Neoburgici Director dexterrimus & integerrimus; cujus consilio, opera & labore Serenissimus, æternâ memoriâ dignissimus Princeps ac Dominus, Dominus Philippus Ludovicus, Comes Palatinus, Dux Bavarix, & c. laudatissimæ recordationis, aliquoties ac iteratò variis in legationibus gravissimorum negociorum nomine, modò ad Cæsareæ Majestatis Aulam, modò ad Imperii Comitia, modò Spiram ad Revisionum causas, modò ad circulares Conventus, usus fuit felicissimè.

Et certè ex frequentî illa missione, gravissimaq; commissorum negociorum expeditione, amplissimâ sibi apud Cæsareæ Majestatis culmen peperit gratiam, ut Sacratissimus Romanorum Imperator Rudolphus II. non ipsi tantum, sed & universæ ejus Prosapix nobilissima Equestris Ordinis jura ac privilegia concesserit largissimè.

In

In ipsa autem parentum virtute cum vis quædam admirabilis & occulta propagandæ virtutis, & in stirpem quasi derivandæ insit, & meliora ex nobilium satu, quam vulgarium hominum ingenia orientur, haud mirum, quod patris virtus, ac morum ipsius quædam similitudo animo filii hujus largè sit infusa. Nam Horatio teste:

*Fortes creantur fortibus, & bonis.*

*Est in juvenis, est in equis Patrum*

*Virtus: nec imbellem feroces progene-  
rant Aquila columbam.*

Quo pertinet etiam ab Euripide illud sapientissimè dictum:

*Egregia dignitatis indoles, nota insignis  
est nobis generis amplissimi.*

Imitari autem cupientes parentum majorumque suorum virtutes Candidati hi nostri, quam primum humanioribus literis egregiè imbuti essent, varias Germaniæ Academiæ adierunt florentissimas, in quibus nobilissimæ Jurisprudentiæ studio

dio animum quisque suum adjecit, planeq; mancipavit, audiendo partim celeberrimos Antecessores, partim publicè & privatim studiosè accurateque disputando, partim etiam domi lectiones publicas, & monumenta præstantissimorum Jurisconsultorum erudita meditatè considerando: unde sibi adeò copiosum compararunt eruditionis, maximè Juris scientiæ thesaurum, ut Reipublicæ consulendo, tum advocando, tum etiam jura publicè docendo utilissimam nunc præstare operam queant. Id quod abundè nobis nuper tam Disputationum, quam Examinum rigerosorum specimenibus, sic testatum fecerunt, ut nostri Collegii sententia concordi sint digni judicati, quibus secūdum vota & petitionem nobis expositam insignia ac privilegia Doctoralia in utroque jure solenni ac consueto ritu conferantur.

Id quod à me amplissimi Collegii nostri nomine confestim fiet, quamprimum

primum potestas hæc ab eo, penes quem ea residet, mihi benignè concessa fuerit.

Quocirca vir Reverenda dignitate præcellētissime, Domine Andrea Osiander, SS. Theologiæ Doctor & Professor celebratissime, Universitatis hujus Cancellarie, & Ecclesiæ Tubingensis Præposite dignissime, vigilantissime, fautor ordinis nostri maxime, Reverendam tuam Dignitatem nomine Collegii nostri majorem in modum officiosè rogo, ut pro consueta sua erga nostram quoque Facultatem benevolentia, pro muneri sui, quo fungitur, publicatione, potestatem mihi, præsentibus hisce duobus Jurisprudentiæ Candidatis literatissimis supremos in Jure utroque honores, ac Docturæ insignia & privilegia, solenni inauguratione tribuere dignetur benevolè. Quo promeriti genere magno, Dignitas tua Reverenda, ut nostrum ordinem universum, sic & hosce Candidatos nostros ad quam-

D vis

vis grati animi significationem minimè dubiam, sibi devinctos obstrictosque reddet.

*Concessa hâc à Dignissimo Domino Cancellario facultate & licentia, ad reliqua progressus fiebat.*

Impetratâ à Dignissimo Domino Cancellario potestate, quam unicè desiderabamus, gratias Dignitati ipsius reverendæ hoc nomine agimus officiosas & immortales, & ad eum, qui superest, solennem creationis ritum nunc progredimur. Primum autem jubemus Dominos Candidatos, jurisjurandi religione sese obstringere ad ea, quæ ipsa solenni formulâ sacramenti ordine sunt comprehensa.

*Dominus Universitatis Notarius recitare hîc jubetur ipsam formulam. Quo factò ipsa creatio sequebatur, & ritus solennes addebantur.*

Quod igitur Majestati altissimæ  
gratum



gratum ac gloriosum, Ecclesiæ salutare & fructuosum, Reipub. ac Scholæ huic fortunatum, & vobis Candidatis honorificum, utile, felix faustumque sit, autoritate publica, per dignissimum Dominum Academicæ hujus Cancellarium mihi data, nomine & suffragio Collegii nostri Juridici, Te Henricum Bacmeisterum Rostochiensem, & Te Georgium Wolffgangum Silberman, Neuburgicum Palatinum, in Nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Doctores Juris Civilis & Canonici credo ac pronuncio, atque tales vos jam creatos & nuncupatos non modo designo, proclamo, atque declaro, sed & ab omnibus in universum agnosci, haberi, & salutari volo, jubeo, postulo.

Concedo insuper vobis jus Doctoralis Cathedræ, ac potestatem consulentibus de jure respondendi, clientulorum forenses causas vestre defensionis viribus agitandi. Tribuo præterea vobis omnes & singulos titulos;

D 2 titulos;

tulos, honores, dignitates, præeminentias, libertates, prærogativas, immunitates, privilegia & jura, quibus Civilis & Canonici Juris Doctores ubivis locorum in orbe Romano de jure vel consuetudine utuntur, fruuntur, potiuntur, ac gaudent.

Cæterum, quia præter exactum præstitumque jusjurandum, Majores nostri quosdam alios ritus externos in oculos hominum incurrentes, renunciationibus Doctorum addi & adhiberi voluerunt, qui rei augustæ & magnæ, quæ tractatur, metationem, & considerationem excitent, amplitudinem & dignitatem ordinis nostri ostendant, ipsisq; novis Doctoribus notæ sint & commonefactiones publicæ de vita, moribusque ad Dei verbum, & honestatis leges conformandis, eas non omittere, sed addere in præsentiarum mihi animus est.

Et primum quidem capitibus vestris puniceum, sive rubeum pileum ad coronæ instar impono, non modo ve-

do veteris libertatis, sed & fortissimi animi in certamine declarati insigne quoddam. In quo & colorem, & figuram probè considerare vos iubeo. Color ille dignitatis præclaræ, quam modò adepti estis, splendorem designat præcipuum. Forma verò & figura rotunda argumentū est perfectionis ingenii atq; animi: ut moneamini, vitæ innocentiam, morum integritate, & mentis rectitudine, vobis ad perfectionem contendendum esse. Id quod cognoscitur quoque ex eo, quod pileus ille, vocabulo quodam alio biretum dicitur, quasi bis rectum; cum Doctorem & doctrinam, & vitam suam, sive opere, deceat esse rectum.

Deinde vestris digitis annulos infero aureos, tum ut recordetur quisque vestrum, suo se annulo, quasi velut arrabone Justitiam, & legalem scientiam sibi esse desponsam; tum quod juris responsa, à vobis data, veritatis testandæ causa jus & potestatem signandi habeatis. Puro autem

ex auro hi confecti sunt annuli, ut cogitetis, quod in dandis consiliis pectus vestrum, & conscientiam ab iniquitate & injustitiâ servare debeatis puram & integram.

Postremò libros trado vobis, ut intelligatis Leges vobis tractandas, & ex Juris autoritate consulentibus respondendum esse, non ex ingenio solum, voluntate & arbitrio vestro, sed lingua, calamo, & animo ex libris & scriptis eorum, qui Jura condiderunt, rectè informato & benè erudito. Trado autem vobis eosdem apertos, trado & clausos. Apertos, ut in vestris responsis, & causarum decisionibus jura vobis semper in conspectu sint, & memoriæ infirmitati inspectione libri consulere possitis: ne, à veritatis tramite aberrantes, turpitudine vos deformetis. Clausos verò, ut significem, quod jus nostrum sic legisse, & didicisse vos oporteat, ut ejus vim & sententiam ita in succum & sanguinē conversam teneatis, quo etiam remotis  
libris

libris interdum de jure respondere possitis.

Antisthenes Atheniensis cuidam deploranti, quod Commentarios suos perdidisset, Oportuit, inquit, ista animo potius, quam chartis inscribere. Librorum fiducia frequenter in causa est, ut minus exerceamus memoriam. In tuto est, quod animo est impressum: licet enim circumferre, & semper in promptu est.

Cæterum cum id, quod præstiti modo, quodque monui, in mea, suo eventu, non sit potestate: Deum ter Optim. Max. Dominum dominantium, toto obtestor pectore, ut operam hanc, & vota mea in vobis confirmet, quo ipsi grata, Ecclesiæ salutaria, & Reipub. utilia meditemur, cogitemus ac faciamus, vosque Ornamentum Patriæ, familiæ vestræ decus, vobisque emolumento, bonis solatium, malisque everfio esse possitis.

Postremò, Clarissimi Viri, Domini Doctores, ut Magnifica, Generosa,

D 4 nobi-

54 *Oratio I. de Dign. & Util. Acad.*

nobilis, literatissima, & ornatissima  
hæc concio in præsentiarum quoq;  
intelligat, qua egregia instructi sitis  
tum publici tum privati juris scien-  
tia, & vestrorum animorum grati-  
tudinem cognoscat, quod vestri ho-  
noris & congratulationis causa ad-  
est, partim in excutienda selectiore  
quadam Juris quæstione, partim  
in agendo gratias vestris quo-  
que ut fungamini parti-  
bus, jubeo.


D I X I.



*ORA.*



## O R A T I O II.


**U**EM IN USUM  
 finemque Illustrissimi  
 Celsissimi que Principis  
 ac Domini, DN. IOAN-  
 NIS FRIDERICI, Ducis Wirtem-  
 bergie & Teccie, Comitis Mompel-  
 gardie, Domini in *Haydenheim* / &c.  
 Domini nostri Clementissimi, Le-  
 gate amplissime; Rector Magnifice,  
 Generose Domine Baro, Cancellar-  
 ie dignissime, Viri dignitate reve-  
 renda, autoritate graves, & doctrinâ  
 præclarissimi; vosque adolescentes  
 generis splendore conspicui, virtute  
 atque eruditione præstantes; Coro-  
 na splendidissima: quem, inquam, in  
 usum finemque, augustissimus hic,  
 & literatissimus celebretur conven-  
 tus, res ipsa testatum facit abundè.  
 Inclytum Facultatis nostræ Colle-  
 gium produxit publicum in con-  
 spectum præsentis hosce duos Juris  
 Utriusque Candidatos excellèti ge-  
 nere,

D s nere,

nerē, ac virtute præditos, singulari ingenio eximios, præclara eruditione atque doctrina, maximè verò sacratissimarum Legum peritiâ excultissimos viros, ut ipsis supremus in Jure nostro gradus, ac honor, consueto, celebri, ac solenni ritu per me decernatur ac tribuatur publicè.

Quoniam verò non modò laudabiliter moribus receptum est, sed & cupidæ literarum juventuti accommodatum & utile putatur, ut hujusmodi in actus celebratione de ejus generis argumento, quod cõveniens sit proposito, ac præsentium auribus non ingratum, præmittatur Oratio quædã, animum & ego induxi meũ, non nihil ex hoc loco præfari, quod à nostro non sit alienum instituto.

Diebus abhinc quatuordecim, quantũ in me fuit, simili in negotio & actu, de Academiarum tum dignitate, tum utilitate ac necessitate aliquantum disseruisse me, notum est. Cum autem jus creandi quoq; Doctores, ac Licenciatos Cæsareæ Majestatis



jestatis munificentia, liberalitate ac beneficio ipsis Academiis tributum sit largissimè, inter cætera, ut argumentis tum planum feci manifestis, complacuit mihi in præsentiarum de literariis hisce gradibus, Oratione vulgari solum & communi, ac stylo humili quidpiam depromere.

Dicam verò ordine haud incommodo tum de origine horum graduum; tum jurenè, vel injuriâ Doctoræ gradus, insignia, & privilegia tribuantur; tum etiam quos gradu ejusmodi decorari & ornari conveniat; tum postremò de ritu & solennitate decernendi, conferendique hosce literarios honores paucis agam.

Quâ omni de re dum verba facio, animi submissione, observantiâ, ac studio peto maximo, ut benignitate, benevolentia, ac humanitate vestra, dictioni huic meæ favorem præstare, & exigui temporis ad audiendum dare mihi ac concedere usuram dignemini.

Quo

*Middendorp.*  
*lib. 1. Acad.*  
*pagin. 122.*  
*vers. Tertius*  
*Doctorum.*  
*Fulv. Pa-*  
*cianus de*  
*Probat. lib.*  
*2. cap. 41. nu.*  
*140. Heig.*  
*quæst. 11. n.*  
*36.*

Quo tempore, quo item autore  
 cœperint harum promotionum a-  
 ctus consueti, & in usum venerint  
 literarii gradus illi, non est una o-  
 mnium sententia. Eam in opinio-  
 nem adducti sunt aliqui, ut credant,  
 è fontibus populi Israëlitici hunc  
 decernendorum graduum literario-  
 rum defluxisse morem.

Et certè autoritas Sanctæ Scriptu-  
 ræ & Historia Sacra testimonium  
 impertit nobis gravissimum, pietatis  
 quoque & honestarum literarum  
 Scholas in electo Dei populo exti-  
 tisse non incelebres, in quibus divi-  
 næ quoque & politicæ Leges expli-  
 cari consueverint, non promiscuè  
 ab omnibus, sed illis solum, quibus  
 illud docendi munus publicè com-  
 missum esset.

*Middendorp.*  
*lib. 1. de Aca-*  
*dem. p. 205.*

Cum Moyses Judæorum Rem-  
 pub. sacris confirmasset legibus, pu-  
 blica etiam Gymnasia, quæ Synago-  
 gæ dicebantur, introduxit, ubi Leges  
 divinæ ac politicæ docebantur pu-  
 blicè ab illis tantum, qui ut ordina-  
 rii

rii

rii Professores ipsis Synagogis præfici-  
ciebantur.

In Urbibus Leviticis ipsi Sacerdo-  
tes; In Najoth, sive Bursa & Colle-  
gio, Samuel; in Schola Hierichunti-  
na & Ramod Galaad; aliquandiu E-  
lias, demum etiam Helisæus studiis  
literarum præfuerunt. In Scholis  
Hierosolymitanis, singulis Collegiis  
(multa enim in copiosa illa fuisse  
urbe ex Apostolorum Actis abundè  
constat) singulos Doctores præfe-  
ctos fuisse verum est. Gamalielis  
quoque discipulum fuisse D. Pau-  
lum eadem testantur Apostolorum  
Acta. Et in Cathedra Moyfis Scribas  
& Phariseos sedisse, & docendi mu-  
nere functos fuisse, testis est Mat-  
thæus Evangelista.

In Synagoga Antiochina, & aliis  
Scholis nemo admittebatur, nisi o-  
ptimè exploratus, cognitus, & pro-  
batus esset, ut in doctrina, sic & vita,  
ac primum certò constaret, de qua  
tribu, de quo populo, & domo suum  
duceret ortum, testate Tertulliano;  
nisi

*Vide Petr.  
Heig. quest.  
11. num. 24.  
part. 2.*

*Cap. 6. v. 9.*

*Cap. 5. v. 4.  
& cap. 22.  
vers. 3.*

*Cap. 23. v. 3.*

*Adversus  
Marcionem,  
lib. 4.*

nisi item à Sanhedrim vel Pontificibus Hierosolymitanis esset commēdatus, ut Joachimus Stephani *lib. 1. de jurisdic. cap. 8. num. 13.* refert.

Et quia nulla unquam gens ad eò fuit barbara, quæ religionem, quæ Deorum curam, & Reipub. salutem nauci omnino habuerit: suas propè gens quælibet Scholas habuit, quibus præfecti Doctores ac Professores, ut Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, & alii ejusmodi magna cum admiratione & autoritate discipulis suis præfuerunt. Athenis ad audiendum Theophrastum Aristotelis successorem duo millia discipulorum convenisse, Historici memorant.

Post natum Salvatorem nostrum Christum discipuli ipsius non modò Judæorū Synagogas, sed & Ethnicorum Academias haud paucas in Christianorum cōmutarunt Scholas. In Alexandrina Schola D. Marcus, Pantænus, Clemens, Origenes, Heracles, Dionysius, Anthenodorus,

RUS,

rus, Malichion, Athanasius & alii munus docendi egregiè sustinuerunt. Romæ etiam Justinum Philosophum, & Martyrem *Διογένης* habuisse legimus. Et certè verisimile non est, quenquam his in Scholis ad publicam docendi functionem fuisse admissum, nisi antea accuratè probatus, & examinatus esset.

Verum enim verò, probabile quavis sit, non nisi dignos, & eos solum, quorum virtus, & doctrina insignis perspecta prius & explorata fuerit, Scholis illis publicis ad docendum, fuisse addictos, haud tamen adduci possum, ut credam, quenquam ipsorum singulari quodam, & solenni actu publico, cum præcipuæ cujusdam dignitatis, & privilegiorum, quibus etiam privatim gaudere potuisset, largitate in ordinem publicè docentium receptum fuisse.

Etsi didicerim ex monumentis veterum Scriptorum, quod Philosophi, ut Socrates, Plato, Aristoteles & alii, præcipuo quodam habitu putata hu-

*Laertius in  
prin. Rhodig.  
cap. 12. lib. 5.  
lect. antiq.  
Galen. lib. 1.  
de Histo.*

*via philo-  
soph. Capi-  
tolin. in vita  
Marci Au-  
relii Philo-  
sophi, ac Im-  
peratoris.*

*Middendorp.  
lib. 1. Acad.*

*pag. 120. Lu-  
cas de Penna  
in l. Murile-  
guli, col. 2.*

*C. de muri-  
legul. lib. 11.*

*lib. 2. §. Et ut  
obiter scia-  
mus. ff. de o-  
rig. jur.*

*d. l. 2. §. Post  
hunc maxi-  
mè. in fine.*

ta humerali olim vestiri consueve-  
rint. Quodq; Athenis beatus Dio-  
nysius Areopagita Philosophiæ ha-  
bitu infulatus fuerit. Quod denique  
Pythagoras, divinus ille Philoso-  
phus, honoris ergo coronam gesta-  
rit.

Aliorum alia est de origine crean-  
dorum Doctorum opinio. Ante  
Augusti Imper. tempora publicè de  
jure respondendi potestas non à  
Principibus Romanorum dabatur,  
sed qui fiduciam habebant studio-  
rum suorum de jure consulentibus  
respondere solebant. Primus verò  
Divus Augustus, ut major Juris au-  
toritas haberetur, constituit, ut ex  
autoritate ejus Jurisprudentes re-  
sponderent, & ex illo tempore peti  
hoc pro beneficio cœpit, ut testis est  
omni exceptione major Pomponius  
Jctus. Post Augustum Tiberius  
quoque Cæsar potestatem hanc de  
jure respondendi loco beneficii cō-  
cedebat, ut idem Jctus meminit.  
Factitarunt idem & reliqui Princi-  
pes,

pes, post Augustum & Tiberinum Impp. Et quidem Hadrianus, Princeps optimus, cum ab eo viri Prætorii peterent, ut sibi de Jure liceret respondere, rescripsit eis: Hoc non peti, sed præstari solere. Quo Orationis genere Imperator significavit, peti quidem posse à Principe, ut potestas de Jure respondendi concedatur; verum non decere, ut ea facultas ad solam tribuatur petitionem, nisi is, qui petit, & præstiterit, id est, facto se idoneum comprobaverit, ut ea auctoritate præornetur.

Hinc tum Zasius, tum alii colligendum putant, Doctorum creandorum originem emeruisse indubiã: cum tamen id solum argui inde possit, jus ac potestatem creandorum Doctorum nõ aliunde, quam à Cæsareæ Majestatis culmine summo pendere; Alia verò vel dignitas, vel privilegiorum eminentia, qua florent Doctores, vel solennitas actus, quo ipsi publicè decorantur, exinde vix elici meo poterit animo.

E Non

*Matth. Stephani lib. 3. de iurisdic. part. 2. cap. 14. num. 42. & seqq.*

Non desunt porrò, qui Academicas promotiones, ac literatorum gradus aliunde suam trahere originem opinantur; idque sequentem in modum doceri autumant. Imperium Romanum duplici constat hominum genere: togatis, sive palatinis, & militibus: quorum hi apparatu armorum Rempub. tempore belli defendunt; illi verò in pace, Jure & Lege Imperiũ administrant; ut tempus utrumque & bellorum & pacis rectè gubernari, ac rebus suis commodè & pacificè quisque superare possit.

Hoc autem utrumque hominum genus in Imperio Romano, ut ad virtutem excitarentur, constituta sunt ipsis beneficia, dignitates, & præmia. Beneficiorum loco Romani assignabant prædia his, qui egregiam in bello operam navarant, sicuti meus de bello & duello ostendit Tractatus. Hisdem quoque additi fuerunt honores, ut Jure Quiritum, & Latii, itemq; annulorum uterentur



tur privilegio. Literati verò, Philosophi, aliique præclaris ac ingenuis artibus exculti, civitatis jure cum primis donabantur, ut militibus, honore, ac beneficiis nō inferiores, sed pares essent. Unde Julius Cæsar, referente Suetonio, omnes Medicinā Romæ professos, & liberalium artium Doctores civitate donavit liberalissimè. Illa autem ætate aliquem donare civitatis jure, ut raram erat, ita non nisi virtutis habebatur præmium, ut ex Tacito liquet. Tandem Cæsar Augustus cum summa rerum potiretur, & Monarchiam Romanum in Imperium introduceret, Philosophis scientia eminentibus, solenni ritu verborum per publicum actum, ut ex Dione patet, jus civitatis dare solebat. Qui autem ab Imp. tum jus Quiritum plenè adeptus esset, non modò jura & privilegia civis Romani, quo ad immunitates à gravissimis muneribus metatorum militiæ, censitorum, sed & dignitatum titulos consequu-

*In Julio Cæsare, cap. 42.*

tus dicebatur, ut laticlavi, annuli aurei, sessionis & stationis primariæ jus haberet, ne ex commisso aliquo crimine vinculis traderetur, aut verberaretur, nisi id ab Imperatore judicatum esset.

At hæc licet ita sese habeant, atque insuper Juris nostri autoritas testatum abundè faciat, varia, eaque præclara & amplissima privilegia ut Legum Doctoribus, sic & aliorum studiorum Professoribus ab Imperatoribus esse tributa: hæud tamen rectè ex eo convinci autumo, promotiones hæc nostras, & graduum literariorum insignia ac privilegia originè inde suam traduxisse; quamvis inficias ire hæud possim, immunitates, & privilegia isthæc Doctoribus, hoc est, Professoribus studiorum indulta, occasionem præstitisse immunitatibus, ac privilegiis, quibus hoc tempore creati Doctores fruuntur. Legislationes etenim & Constitutiones illæ, quæ in libris Justiniani Juris mentionem faciunt

Docto-

Doctorem, non sunt de ejusmodi exaudienda Doctoribus, qui publice renunciatur hodie Doctores, & solenni ritu Doctorale diadema suscipiunt; sed de illis tantum, qui publice alicui Professioni fuerunt prepositi, licet singulariter Doctoris titulo publica & solenni renunciatio- ne insigniti non fuerint: quamvis & illi ante munus susceptum prius ab ordine probati, & digni isthac Professione judicati fuerint. Doctoratus nostra hac ætate singularis & præcipua quædam dignitas est, licet quis Doctoreis coronatus infulis, non præsit alicui studiorum Professioni, neq; adolescentes artem, qua instructus est, publice doceat, sed vel privatam agat vitam, vel causis forensibus operam det, vel Principibus à consiliis sit, vel Medicæ artis beneficio ægrotis opem ferat.

*Vide Domini Soceri mei, D. Iohannis Halbritteri, Orationem de privilegiis Doctorum*

Comprobendam igitur ipsorum judico opinionem, qui tempore Lotharii I I. Romanorum Imperatoris Saxonum Ducis, promotiones, & li-

*Heig. quest. 11. n. 48. & seq. Middel-dorp. lib. 1. Academia-*



*rum, p. 121.*  
*& Matth.*  
*Stephani de*  
*juridict. lib.*  
*3. part. 2. cap.*  
*14. num. 53.*  
*Fulv. Pa-*  
*cian. de pro-*  
*bat. lib. 2.*  
*c. 41. n. 141.*

*D. David*  
*Chytraeus in*  
*sua Chrono-*  
*log. verb. Lo-*  
*tharius, pag.*  
*309.*

terarios, cum solennibus ceremoniis, decernendos gradus introductos, ac in usum venisse autumant. Augustissimus hic Romanorū Princeps, Anno Christi 1135. post susceptam expeditionem in Italiam contra Rogerium Siciliae Regem, ipso ex Italia pulso, leges Romanas per Irnerium JCrum, Cancellarium suū in Scholas & Judicia revocavit; & ut legum Professioni dignitas adhæret, per eundem Irnerium gradum Doctoratus introduxit; Proindeque Bononiæ, cum ibidem Jus Civile tradi jussisset, promotionem quoque Doctorum Juris instituit, & Augustale Jus sibi competens in promotione Doctoratus, cum certâ quadam promotionis formâ ab ipso Irnerio præscripta, Scholæ tribuit.

Isthoc autem tempore, primi Juris interpretes latini, Bulgarus, Hugolinus, Martinus, Pileus, & alii plures Doctoratus ornamentis sunt decorati. Atque hæc creandi publicè Doctores ratio & promovendi præclara

clara eruditione atque doctrina viros, privilegium, ad Parisienses quoque translātū fuit: ubi Petrus Lombardus, primus Theologiæ Doctor, solenniter creabatur. Pisis quoque Doctores creandi jus Medicis tum concessa fuit. Ab eo autem tempore usque ad nostram ætatem harum promotionum usus in Academiis duravit, qui etiam Lege Canonica, & Recessuum Imperialium decretis confirmatus fuit.

*Clement. 1.  
Tit. de Magistris.*

Cognita promotionum, & gradus Doctoralis origine, ordo noster inquirendum suggerit, jure vel injuriâ Doctrinæ insignia viris summo ingenio, ac omni liberali Doctrinâ politis tribuantur?

Justitia, quam meritò colimus, & sanctè venerari debemus, præcipit & illud, ut suum cuique tribuamus; Id quod etiam de exantlatorum laborum dignis præmiis ipsi quoque Philosophi intelligendum esse non ignorant, & Legum nostrarum prudentissimi cōditores libenter agno-

E 4 scunt.

*Erasmus in  
Apophteg.  
Antisthe. 18.*

scunt. Et certè non modò utile, sed & necessarium est, virtutis & laborum tribui præmia. Solon interrogatus, unde Respub. maximè vigeret, respondit: Si boni præmiis incitentur, mali autem, ad virtutem negligentes, poenis coërceantur. Interrogatus quoque Antisthenes Philosophus, quæ res civitatibus exitium portenderet, cum in his, inquit, nullum potest esse bonorum & malorum discrimen: sentiens, eam Rempub. consistere diu non posse, ubi nec virtuti honor esset, nec poena scelerosis. Salust. item in Oratione ad C. Cæsarem, de Repub. ordinand. Virtus, inquit, suis destituta præmiis, amara per se & aspera est, facileque in vitium degenerat.

Et quamvis per se expetenda sit virtus: quia tamen naturæ humanæ tanta est imperfectio & imbecillitas, ut virtutem vix sequatur, nisi præmio, dulcissimo virtutis pabulo, incitetur, & incitamento quodam ad  
amorem

amorem ejus instigetur, juxta illud  
Poëtæ:

*Ipsè decor recti facti si præmia desint,  
Non movet, & gratis pœnitet esse pro-  
bum.*

Cicero pro C. Rabirio, Nemo, in-  
quit, nostrum in Repub. periculis  
cum laude ac virtute versatur, quin  
spe posteritatis, fructusque ducatur.  
E contra verò, teste Livio, nihil non *lib. 4. de-*  
aggressuri sunt homines, si magno *cad. 1.*  
conatui magna proponantur præ-  
mia; quod in brutis perspicuum est,  
monente hoc versu:

*Acer & ad palmæ per se cursurus honores,  
Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

Insita est homini naturâ boni &  
gloriæ cupiditas, cujus gratia etiam  
extrema audet. Vix, ait, Cicero, in- *lib. 1. de Offic.*  
venitur, qui, laboribus susceptis, pe-  
riculisque aditis, non quasi merce-  
dem rerum gestarum desideret glo-  
riam. Id quod Valer. quoque Maxi-  
mus rectè intellexit, quando virtu-  
tis, ait, uberrimum est alimentum  
honor; Et Cassiodorus, qui præmio- *2. Var. 16.*

E s rum

*lib. 10. Epist.*  
25.

*lib. 5. de Nat.*  
*Deor.*

*In Paneg.*

*Laurent.*  
*Grimalius*  
*lib. 2. de opt.*  
*Senatore,*  
*pag. 283.*

rum exempla virtutes nutrire scribit. Tum etiã Symmachus, cum, inquit, ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Accedit Ciceronis illud: Nec Domus, nec Respub. ratione quadam, & disciplina designata videtur, si in ea nec rectè factis præmia extent ulla. Hinc Plinius Trajanum laudat, quod bonos cives faciat, non pœnis malorum, sed præmiis bonorum. Cōfert Jamblichi illud: Augetur & crescit, quicquid in honore est; deficit & minuitur, quicquid in contemptu. Quis, ait Juvenalis, virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas.

Est profectò ista Respub. meritò misera & infoelix putanda, in quâ rectè factis nulla præmia persolvuntur, nulla beneficia retribuuntur; cum qui rectè factis nullum pollicetur præmium, sed ea negligit, à laude bonos deterret, ipsosque segniores reddit. At foelix & beata omnis



mnis est Respub. Hippodamo teste, in qua officio suo rectè fungentibus debiti honores tribuuntur.

Vis ergo Rempub. sartam-tectam conservare, vis suum cuique tribuere, vis bonos cives efficere, & virtutis studia Reipub. commodo arctius devincire, bonos præmiis effice: *Bodinus.* Honoris quippe & gloriæ Majestate de Repub. sublata, cives in omne dedecus ac flagitiorum foeditatem prorumpere, tandemq; Rempub. labascere, & interire necesse est.

Quæ autem de præmiis laborum ac virtutis in universum modò differui, cum primis exaudiri convenit, de honore ac dignitate, quæ insigni literarum, maximè vero celsiorum disciplinarum cognitione, ac peritia excultis præmii loco debetur: cum ingenii decus literarum studio comparatum, non precio numario, sed honoris præmio sit æstimandum, ex Ulpiani J Cti sententia. *l. i. §. 5. ff. de extraord. cognit.*

Apud

Apud Lucianū Solon, opinamur, ait: ô Anacharsi, Gymnasiōrū desiderium in Juvenibus magis accendi, si eos, qui optimè sese gesserunt, honorari conspexerunt, & medio Græcorum præconis voce magnificè proclamari, non pauci ex spectatoribus virtutum ac laboris amore inflammentur: Itaque si quis ex cōmuni hominum vita laudis & gloriæ amorem ejiceret, quidnam amplius præclaræ rei ille nobis faceret reliquum? Cic. paucos apud veteres Romanos extitisse insignes Poëtas scribit, quod parū honoris Poësi deferrent. Honos alit artes, omnesque incendimur ad studia gloriâ, ait Tullius. Idem quoque Simachus: Scimus, inquit, bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reipub. ut disciplinarum cultoribus præmia opulenta pendantur.

*Lib. 1. Epist.*  
73.

Viros enim egregios non nisi præmiis, & honoribus ali in propatulo est: Nec unquam artes bonæ, aut præclara

clara ingenia efflorescēt, quam cum suæ virtutis, ac honoris spectatorem ac testem nacti fuerint, qui & justè æstimet egregia opera, & liberaliter repenset.

Athenarum urbs, autore Valerio, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis caput cinxit. Pythagoras quoque Philosophus honoris ergò Coronam auream gestabat, teste *de Privilegiis Scholar.* Rebuffo. Et quod Athenis, ac Cæsariensi in Academia Basilio Magno Doctores, & honoris & Professionis insignia cōferre voluerint, scriptum reliquit in Monodia ipsius Nazianzenus.

Rectè igitur circumspecta, & sapiens vetustas viros summo ingenio, liberali Doctrina, atque eruditione præclarâ præditos, pro diligentia magna, proque studio indefesso, & insigni labore, quem comparandæ suæ scientiæ ipsi impenderunt sedulò, præmii loco, dignitate, honore, ac ornamenti Doctoreis cōhonestari, decorari, & affici dignè voluit.

Non

*In Pædag.  
Cyri, lib. 2.  
Cicero 3. de  
Nat. Deor.*

*4. Ethic. 3.  
l. ult. C. de  
Statuis &  
imag.*

Non autem (ut ad tertium dictio-  
nis meæ caput transeam) cuivis pro-  
miscuè ad hosce literarios honores  
summos patulæ esse debēt fores, sed  
illis solùm, qui virtutis, & eximiæ e-  
ruditionis causa existimantur digni.  
Haud enim decet, ut fortes & igna-  
vi æqualibus ornentur præmiis, in-  
quit Xenophon. Digna dignis, &  
cuilibet suum tribui oportet. Pro-  
pter virtutem solam laudamur, &  
in virtute rectè gloriamur. Ac ve-  
rus honos bonis & honestis de-  
betur, ex Aristotelis sententia. Con-  
venit quoque (ut Theodos. & Va-  
lentinian. Impp. rescripserunt) vir-  
tutum præmia merentibus solum  
tribui.

Quod si indignis præmia defe-  
rantur, frigescit impetus eorum,  
qui ingenui alti que sunt animi, &  
ad voluptatem deficit. Ac largiri in-  
dignis, est dignis injuriam facere.  
Ubi malos, ait Salustius, præmia se-  
quuntur, haud facilè quisquam gra-  
tuitò bonus est.

Si

Si præmia paucis ac dignis, & ex Legûm præscripto dederitis, inquit *Apud Stobæum Serm. 41.* Æschines, multos pro virtute certantes habebitis: Sin volenti cuilibet, & ambitiosè contendenti, bona etiam ingenia corrumpetis. Quò pertinet Comici illud: Virtute ambire oportet, non favoribus. Cui consonant *l. 14. C. de re milit. lib. 12.* Arcad. & Honor. Impp. quando Stilichoni Magistro militum in hæc rescribunt verba: Honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquemque convenit devenire.

Indigni quoque sunt, qui precio ad præmia adspirant, & ut Ammiani Marcellini verbis utar, qui ære gravi honores mereantur, ac alienis præmiis excutiunt gradus.

Cum ergò causis ex gravissimis literarii honores & gradus, sive promotiones Academicæ, introductæ sint, ut spectatæ virtutis, & præclaræ eruditionis, communi saluti admodum fructuosæ præmia extent publica, ac juventus ad studia bonarum

rum

rum ac honestarum artium incitentur, docti ab indoctis, ab improbis probi Reipub. in emolumentum, communis salutis causa discernantur, ne temerè & indignis conferantur necesse est. Alioqui enim non ipsæ modò promotiones, quarum aliàs saluberrimus in Reipub. usus est, vilescunt, & viri gradu decorati contemnentur, sed & rudes ac dignitate hac literaria indigni, honoribus hisce & privilegiis ornati, Reipub. pro fructu & commodo, detrimenti importabunt plurimum.

Et certè graviter peccant, non illi modò, qui indigni hosce literarios petunt honores, sed & qui indignis conferunt illos, cum Reipub. valde sit perniciosum, scientia artis fucata vulgus imperitum, & simplex miserè decipi.

Ad gradum ergo, ac dignitatem Doctoratus non debet quisquam admitti, priusquam explorata ipsius & perspecta fuerit eruditio plenissimè: ne tanquam sus in rosas irruat.

Id

*Mandos. ad  
Cancellar.  
reg. 16. quest.  
13. & 14.*

Id quod Constantiensis quoque Synodus singulari statuit Decreto his verbis: Ut de cætero floreat sapientia, & vigeant literaria Studia, nullus ad titulos graduum & honorum assumatur, nisi idoneus & approbatus moribus & scientia, atque benè meritus: nec ita levis, & nimium præcipitata promotio fiat.

*§. Item ut de cætero, de collat. in pragmat. sanct. Matthæi Stephani lib. 3. de jurisdict. par. 2. cap. 14. n. 62.*

Ad solidam verò & præclaram eruditionem & doctrinam, quam hîc desideramus, comparandam, & ætas opportuna, & certum Studii tempus approbatis in Academiis, non a libi traductum, exigitur.

*Fulv. Pacian. lib. 2. de probat. cap. 41. num. 48. & seqq. Statutum Facultatis nostræ, cap. 7.*

Ætas quidem major & minor scientiæ causa non est: quia tamē cum ætate prudentia crescere dicitur, ea certè eruditio, quæ Doctoreo honori summo respondere meritò debet, intervallo temporis angusto haud percipi à quoquam potest.

Placuit verò prudentibus, juvenem Anno ætatis 18. censerî idoneum ad capescendam literariam hanc dignitatem: modò etiam à doctrina

*Vide Menoch. lib. 2. de arbitr. judic. cent. 5. casu 427. nume-*

F plenè

70 17. & 18.  
*Middendorp.*  
*lib. 1. de Aca-*  
*demis, p. 133.*  
*l. 1. §. 3. ff. de*  
*postul.*  
*l. Si servum,*  
*§. sequitur, ff.*  
*de verb. obl.*

*In præfat.*  
*comment de*  
*Constitut.*  
*Princip.*  
*Vide Præfat.*  
*in Comment.*  
*Mynsing. in*  
*Institut.*

plenè sit instructus. Sic Nerva Jurisconsultus consulentibus de Jure respondisse fertur, cum 17. ætatis annum complevisset. Celsus quoque de Jure respondisse adolescens dicitur. Bartolus 13. ætatis suæ anno Leges discere cœpit, eosq; in illis progressus fecit, ut anno 17. ad instar Nervæ J Cti publicè responderit, & anno 21. Juris Doctor sit creatus, ut in vita ipsius legitur. Carolus Tapia de se testatur, quod ante 18. ætatis suæ annum Utriusque Juris Doctoratus insignia promeruerit. Sic Jurisconsultus olim eximius Joachimus Mynsingerus, ante ætatis annum 21. Juris Doctor creatus, Zasio J Cto in Friburgensi Academia in Professione successit publica.

Johannes item Corasius nōdum vigesimum primum ætatis annum natus Patavii summo omnium applausu aliquot difficillima Juris axiomata ex salebrofa substitutorum materia defendit publicè. Fulgofius

*C. Fulv. Pacian. de pro-*



gofius anno 23. in Utroq; Jure Doctor fuit creatus.

bat. lib. 2. c.  
41. num. 29.

Cæterum ante decimum septimum ætatis annum nemini conferendum esse in Jure Doctoris gradum, omnes propemodum nostri affirmant. Post hanc verò ætatem jure admitti potest, cujus eruditio dignitati huic respondere intelligitur, ex sententia Zaborellæ in proœmio Clementinarum, *in verb. Ioannes, num. 4. vers. Item requiritur certa ætas, col. 2.*

Berius de  
privileg. Iur  
risconsultor.  
privileg. 64.  
Anchoran.  
proœmio lib.  
6. M. Socinus  
in c. Quanto  
Tit. de Ma  
gistris. Me  
noch. s. dict.  
loc. Midden  
dorp. lib. 1. de  
Academ.  
pag. 133.

Quemadmodum verò nimia ad Doctorales honores festinatio arrogantia index est cum periculo conjunctus: ita nimia tarditas ignaviam arguit, & demissum gignit animum. Et dum serò quis studii sui fructus expectat, verendum est, ne prius deficiat, quam Doctor esse incipiat. Proinde Johannes Faber hanc nimiam Studiosorum tarditatem reprehendens dixit: Quod si videris aliquem institutarium senem, poteris ei dicere: Amice tu eris advocatus in alio seculo.

F 2

Tem-

*Pacian. de  
probat. lib. 2.  
cap. 41. n. 48.  
& seqq.  
In proœmio  
Digestor. §.  
Ex quibus.*

*De Angelo  
meminit Pa-  
cian. lib. 2. de  
probat. cap.  
41. num. 41.  
Nevisan. in  
sylva nupt.*

Tempus verò quinquennii ad ab-  
solvendum in approbatis Academiis  
Juris Studium Justiniani Lege præ-  
finitum est; cum nemo doctus tem-  
pore exiguo fieri possit, sed ut quis  
discere queat, tempore indigeat: &  
juvenis advocatus litium plerunq;  
confusor deprehendatur; teste &  
Angelo & Nevisano J Ctis. Nostri  
quoque Collegii Statutum hac flo-  
rentissima in Academia legitimum  
completionis tempus quinquennio  
regulariter definit, quod Candida-  
tus Juris ad probatis in Academiis  
studio Juris insumsisse debuit.

Quia verò merita non ex tempo-  
ris diuturnitate, sed eruditione di-  
scientis æstimari debent, fieri quan-  
doque potest, licet rarò, ut quis an-  
no sui studii quarto insignia Docto-  
ratus suscipiat. Id quod factum in  
Philippo Decio attestante, in ejus  
vita Francisc. Beza, & meminit Ful-  
vius Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 41. nu-  
mero 39.*

*Iohann. Ca.*

Non desunt tamen, qui ante de-  
cimum

cimum hujus Studii annum, privilegia & insignia Doctoratus haud dignè tribui putant. Quod fortè solum de his intelligendum, qui ingenii sunt tardioris, proindeque spacium temporis longius desiderant. Qui subtilioris sunt ingenii, & anno percipere uno plus possunt, quam alii hebetiores biennio, illis quinquennii diligens studium sufficere potest, cum eruditionis causa tempus solum esse nequeat.

Nimium autem festinantes ad honoris hujus fastigium, retrahendi sunt, cum Legum plerunque non Doctores, sed dolores ac litium confusores fieri dicantur: Et novello Juris Doctori nondum maturo non magis fidendum sit, quam Medico novitio, quem Angelus noster Perusinus Parentum homicidam vocat.

Ad hæc cum in decernendis literariis gradibus respiciendum sit cum primis ad personæ qualitatem, & eruditionem: convenit cujusq; Candidati facultates animi accuratè ex-

F 3

plorari

*phal. consil. 232. lib. 2. vide Sebast. Medic. de legib. & statut. part. 3. quest. 18. n. 4. & 5. Matth. Stephani de jurisdiction. lib. 3. part. 2. c. 14. n. 65. 66. & 67. Petr. Gregor. Tholof. lib. 18. de Repub. cap. 9. nu. 3.*

*Pacian. lib. 2. de probat. cap. 41. n. 41.*

*Fulv. Pacian. de probat. lib. 2. c. 41. nu. 64. & seqq.*

84 *Oratio Secunda, de literariis*

plorari prius, & maximè qua sit probitate, qua doctrinâ excultus, diligenter inquirendum, Nemo enim virtutum excellentiam nisi probus consequi potest, & doctrina sine virtute potius ignorantia, quam scientia dicenda erit: Gradus quoque absque scientia non sufficit, sed tantum index est, ac symbolum eruditionis, & ad studendum diligenter incitat, viamque struit, & illis tantum privilegia ac immunitates tribuit, quibus eruditio & doctrina causa fuit collati gradus.

*l. un. C. de  
Athletis, lib.  
40.*

Quapropter ut illi demum athletæ immunitate gaudent, qui tribus certaminibus sacris coronati reperiuntur: ita insignibus Doctrinæ decorari qui desiderant, & Doctorum privilegia affectant, suam eruditionem Doctoreo dignam honore tribus præstare examiniibus jubentur, Disputatione scilicet publica, tentamine privato, & demum examine publico.

Quamvis autem Examen illud à  
Docto-

Doctoribus septem fieri debere auctoritas Juris suadeat, ex Statutis tamen & ordinationibus Academia- rum, vel tres, vel quatuor, vel quin- que, vel sex sufficere possunt. Qui verò absque solennibus hisce expe- rimentis titulum Doctoris adepti sunt, privilegio & dignitate Docto- rali haud digni censeri debent.

Quo autem ex rigerosis illis cer- taminibus constare certò possit de præclara cujusque Candidati erudi- tione, supremo huic gradui, ac ho- noribus hisce literariis pari, exami- natores religione vel jurisjurandi, vel synceræ fidei, loco Sacramenti, confirmare jubentur, dignum esse repertum Candidatum, cui sum- mus ille gradus literarius dignè de- cerni, ac conferri possit.

Si quis tamen Candidatus noto- riè peritus sit, potest ille, vel sinè, vel modico saltem pro forma adhibito examine, Doctoreo insigniri gradu.

F 4

Cæte-

*Fulv. Pacia. lib. 2. de pro- bat. c. 41. nu. 104. & seqq.*

*Benius Tra- ctat. de pri- vileg. Doct.*

*Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 527.*

*& Fulv. Pa- cian. lib. 2. de probat. c. 41.*

*n. 99. & seqq. Coler. de pro- cess. exeunt.*

*part. 2. cap. 3. num. 129.*

*Menoch. de arbitr. judic. cas. 192. n. 5.*

*Middendorp. lib. 1. Acad. pag. 124.*

*Matth. Ste- phan. lib. 3. de jurisdict. par.*

*2. c. 14. n. 79.*

*Panor. in c. constitutus, 45. n. 3. extr.*

*de appell. Pa- cian. d. c. 41. n. 101. Mat-*

*th. Steph. d. c. 14. n. 71.*

*dict. cap. 41.  
num. 16. &  
seq.*

Cæterum non est hîc omittendum, quod licet quis publico in Examine repertus sit parum doctus, si tamen spes sit de ipso, quod temporis successu diligentia sua majorem ingenii cultum capere possit, ex Fulvii Paciani sententia, Doctoris ornari infulis salva conscientia queat.

Reliquum est, ut de ritu & solennitate conferendorum insignium, Doctoralium aliquid subjiciamus.

Gentibus propè omnibus commune fuit omni ætate, ut in Ordinum & Collegiorum cooptionibus ritum adhibuerint aliquem, tanquam novi honoris Symbolum & insigne aliquod.

*Johan. Trithemius in  
Otthonis I.  
histor. cap.  
Cæron. 6.*

Imperatori Germanico recens creato primum gladius accingitur, tum armillæ humeris imponuntur; post sceptrum in manus datur; globus item & annulus porrigitur; ad extremum corona capiti imponitur.

In

In designandis & inaugurandis Regibus hæc adhiberi solent insignia: Capiti primum Corona imponitur, tum dextræ sceptrum, mox sinistra virga Regalis traditur.

Episcopatum inf feudandorum insigne est sceptrum: Ducatus autem & Comitatus, & Marchiæ, vexillum, ut ex speculo patet Saxónico, his verbis: Imperator cum scepro confert feuda spiritualibus: cū vexillo autem secularibus confert omnia feuda dignitatis illustris.

Meminimus, quod cum annis ab hinc aliquot, Celsissimus Princeps noster, ac Dominus, Dominus Fredericus, Dux Württembergicus & Teccius, Comes Mompelgardensis, Dominus in *Haydenheim* / &c. Dominus noster laudatissimæ recordationis Clementissimus, à Legatis Serenissimi Regis Angliæ de Regio Ordine Anglico, Eques auratus Stutgardia summo in templo ritu

F 5 solen-

*Gallicus*  
*Scriptor annaliū Nortmanniæ, cap. 180. & seq. hunc describit ritum in Richardi Anglorum Regis inauguratione observatum.*

*Specul. Sax. lib. 3. art. 60.*

solennissimo investiretur, insignium loco Celsitudini ipsius pallium quoddam talare, & fascia tibialis preciosissima, & elaboratissima sit adposita, ac cingulum cum gladio, opere magnifico adpensum.

Lunæburgi in ordinem Patriciorum, jus salinarum habentium, de consuetudine hoc ritu solenni recipiuntur focii novitii. Par virorum juvenum, ad quos aliàs salinarum jus pertinet, cupam, ut vocant, id est, vas quoddam, magna saxorum mole impletum, robustissimæ annexum hastæ, pectori suo utrinque adpositæ, equis insidendo cursu celerissimo per omnes civitatis vicos, tanquam in triumpho non sine vitæ discrimine ductitare solet.

Ad instar ejusmodi ceremoniarum vetustarum, in Actu quoque Doctorali, quô plus reverentiæ, & splendoris obtineat, solennitates nonnullas adhiberi antiquitas voluit.

Nume-



Numerant quidem glossa Canonica, & asseclæ ipsius hujusmodi solennitatum partes sex; ut sunt, Cathedra, pileus, sive biretum, liber, annulus, osculum, benedictio. At harum partium quædam substantiales sunt, proindeque necessariæ, & omitti non possunt; quædam verò sunt arbitrariæ, & vel adhiberi, vel intermitti queunt.

De substantia Doctoralis promotionis est solennitas Cathedræ, libri item, pilei, & annuli aurei: Arbitraria verò solennitas continetur partibus cæteris, ut alios sequutus sentit Mascardus.

Et licet non desint, qui opinantur, Cathedræ solennitatem arbitrariam esse non substantialem; verior tamen judicanda est aliorum sententia, qui necessariis Doctrinæ insignibus Cathedram quoque adponunt. Cum enim partes sint Doctoris potissimæ, docere, interpretari & disputare, tam publicè, quam privatim, etsi non omnes hanc sibi

fidu-

*In Clement.*

*2. Tit. de Magistr.*

*Additionator ad Guid.*

*Papa, q. 388. in fin. Mascard. de probat. vol. 1.*

*conclus. 527. nu. 15. & 16.*

*Heig. quest. 11. n. 56. part. 1.*

*Fulv. Pacian. de probat. lib. 2. c. 41. n. 129. & seq.*

*Ernestus Coth. Resp. Acad. 44. n. 35. & seqq.*

*Mascard. d. conclus. 527. n. 15. & 16. & Additionat. Guid. Papa, q. 388. in fine.*

*Ita post Bonifacium de Vitalinis, sentire videtur Pacianus dict. cap. 4. n. 130.*

fiduciam sumant, jus Cathedre, quâ illud denotatur munus, ne utiquam in ipso promotionis actu prætermitti debet; licet opus esse non putem, ut Candidatus in ipsam collocetur supremam Cathedram, quod aliquibus in Academiis factum vidi: Sufficit, si jus Cathedræ, hoc est, docendi, interpretandi & disputandi potestas, ut privatim, sic & publicè concedatur, Candidato.

*Bald. in pro-  
æmio Decre-  
tal. in verb.  
Gregorius,  
num. 25. &  
26. Mascard,  
dict. conclus.  
527. num. 15.  
& 16.*

*Vvesenbec.  
ad Tit. ff. de  
jure aureor.  
annulor.*

*In Verrem  
lib. 5. & 7.*

De annuli insertionem, quod æquè de substantia Actus Doctoralis non fit, Baldi opinio est, cui Mascardus, & Additionator Guidonis Papæ, consentiunt; verum plerique alii authores insignibus necessariis anulum quoque aureum rectè connumerant. Cùm enim Doctores Majestatis Cæsareæ beneficio præter alia privilegia consequantur etiam nobilitatem quandam, cujus olim quoque insigne erat aureus annulus, antiquitus non nisi virtuti tribuebatur, teste Cicerone, prætermitti

mitti certè hæc Doctoralis tessera  
minimè debet, nec solet à nostris.

Libri quoque traditionem planè  
& omninò necessariam esse arguit  
abundè inscriptio Bononiensis Au-  
ditorii, his verbis: QUI DOCTOR IN  
ORDINEM LIBRO NON ACCEPTO  
ADSCITUS FUERIT, EIUS DIGNITAS,  
LICET PERITORUM OMNIUM SUF-  
FRAGIIS COMPROBATA, PRORSUS  
NULLA ESTO.

*Nathan  
Chytraus in  
delic. itinerũ  
varior. inter  
Bononien-  
sia, &c. pag.  
238. Heig.  
quest. II. nu.  
42. part. 2.*

Pilei impositio à nullo, quod sci-  
rem, necessarium & substantiale  
Doctræ negatur insigne: Et jure  
hæc solennitas, Doctorali in Actu  
desideratur, cum indicium sit, præ-  
claræ (cujus domicilium caput est)  
eruditionis & doctrinæ singularis,  
ob quam Doctoralem ad dignita-  
tem Candidatus promotione isthac  
extollitur.

Osculum verò arbitrariũ est Do-  
ctoratus insigne: siquidem sit con-  
sequutivum duntaxat & demon-  
strativum jam creati Doctoris indi-  
cium,

*Bald. in pro-  
æmio Decre-  
tal. Additio-  
nator ad  
Guid. Prap.  
quæst. 388. in  
fin.*

*Zaborel. in  
Commenta-  
rio Clement.  
2. cum sit.*

*Tit. de Ma-  
gistr.*

*Bald. dicto  
loc. Mascar-  
dus dict. con-  
clus. 527. nu.  
26.*

cium; cum nec ad matrimonii sub-  
stantiam quicquam faciat osculum,  
sed eius antea contracti quoddam  
sit argumentum, ut Baldus & Za-  
borella volunt. De consuetudine  
verò quibusdam in Academiis, ut  
ipse met vidi, non solet hoc insigne  
omitti.

Æquè connumerant Baldus &  
Mascardus, arbitrariis Doctrinæ insi-  
gnibus ipsam benedictionem, quod  
necessariò, & de substantia actus  
Doctoralis ea non exigatur, quam-  
vis honestè fieri possit. Unde Zabo-  
rella scribit, quod osculum & bene-  
dictio potius sint de benè esse, seu ad  
benè esse reputentur.

Quicumque ergo virtute conspi-  
cuius, ab eruditione multa probè  
instructus, ad probatis in Academiis  
tempore legitimo versatus, & tri-  
bus examinibus rigerosis decenter  
probatus, & dignus à Juris Collegio  
judicatus, solennibus hisce adhibi-  
tis Doctor ritè in Academia qua-  
dam

dam privilegiata creatus fuerit, honore, dignitate, ac privilegiis Doctorum jure utitur, fruitur, non etiam quisquam alius, sive Codicillari diplomate à Palatino Comite sit valatus, sive nullo ejusmodi titulo clarus fuerit.

Tales autem in præsentiarum, tali solennitate ac ritu, ut creemus Juris Cæsarei ac Canonici Doctores, viros hocce præsentis, conventum hunc augustissimum & literatissimum institutum, esse intelligimus omnes: cui negotio dum præsum, vestrum nobis favorem solitum, propter rei honestatem ac magnitudinem gratiosè & benevolè tribuatis, humiliter, officiosè, & amanter majorem in modum rogamus.

Uterque hic Candidatus noster, sive decus ac dignitatem familiæ, sive propriæ virtutis splendorem, sive ingenii pulcherrimas dotes, sive eruditionis ubertatem spectes, omni laude sunt dignissimi.

Unus,

Unus, ordine primus, Johannes Ulricus *Kesch*/Stutgardian<sup>9</sup>, Württembergicus, Patre natus est Casparo *Kesch*/ viro omni honestate cummulato, usu, exercitatione, & prudentia singulari prædito, ac politicis in negociis expediendis dexteritate, ac felicitate præcellenti, Württembergico Camerae Consiliario consideratissimo.

Et cum Illustrissimo Celsissimoque Principi ac Domino, Domino JOHANNI FRIDERICO, Duci Württembergico ac Teccio, Comiti Mōpelgardensi, Domino in *Haydenheim*/&c. Domino nostro Clementissimo, Universitatis hujus literariæ patrono benignissimo, Candidati hujus nostri spectata virtus, eruditio præclara, ac prudentia singularis, commendatione Clarissimorum virorum intercedente, perspecta penitus cognitaque esset, Celsitudo ejus in Ordinem Consiliariorum Jurisprudentum Clementissimè

inè ipsum cooptatum voluit, in quo honestissimo ornatus salario Celsitati ipsius Illustrissimæ in partibus sibi commissis Consilium, operam, fidemq; suam præstare elaborat enixè.

Alter Candidatus MICHAEL Schweiberer/ Viennensis Austrius, pariter honestissimo procreatus est parentum satu, quos sincera pietas, spectatæ vitæ sanctimonia, ac virtutum aliarum omnium encomium, dum lucis hujus usura potiebantur, præclare commendabat. Et licet studio, cura, fideque ipsorum immature nimis vi mortis orbatus esset, non tamen ipsi ex cognatione & affinitate defuerunt, quorum consilio & sollicitudine honestè educatus, pietate imbutus, ac omni liberali doctrina egregiè informatus fuit.

Inter eos autem, qui præcipuam ipsius curam susceperunt, est cum primis nobilis, strenuus, & amplissimus Vir, Dominus Lazarus Hen-

G

kelius,

kelius, Senior à *Donnersmarckh/* in *Gfchl/ & Besendorff/* Cæsareæ Majestati, & Serenissimo Principi ac Domino, Domino Maximiliano, Archiduci Austriæ, &c. à Consiliis gravissimis fidelissimus, Adfinis ipsius omnium charissimus.

Posteaquam verò hi Candidati nostri, trivialibus in Scholis ac Gymnasiis, superioribus illis artibus, quæ Orationem informant, & linguarum cognitionem, differendiq; rationem adferunt, cæterisque humanitatis ac literarum Studiis, animum suum diligenter excoluissent, ex maturo suorum Consilio adierunt quoque Romani Juris addiscendi causa Academias Germaniæ florentissimas: Ille hanc Tubingensem, Genensem, Rostochiensem. Hic non modò eandem hanc Tubingensem & Genensem, sed & Witebergensem & Giesenam Universitates, præter patrium Viennense lyceum: quibus in locis viris eruditissimis, ac liberalissimis Studiis affluentibus,



tibus, animum quisque suum Jurisprudentiæ laborioso & subtili Studio totum mancipavit, in eoque ultra legitimum temporis nostræ legali disciplinæ dicti spacium ita versatus fuit, ut partim celeberrimos Antecessores publicè audiendo, partim studiosè, accurateque ut privatim, sic & publicè disputando crebrò, partim etiam domi tum Lectiones Præceptorum, tum monumenta præstantissimorum Jurisconsultorum, erudita meditatè considerando copiosum sibi eruditionis in Utroq; Jure thesaurum adquisierit.

Et quia utilis admodum & jucunda est juvenibus moderata peregrinatio, ut quæ plurimam ipsis doctrinæ accessionem adfert, ac rerum experientiam præstat; Unde etiam Ulysses apud Homerum laudatur:

*Qui mores hominum multorum vidit,  
& Vrbes.*

Invisere Candidati nostri alienas quoque terras non dubitarunt. Negligunt pleriq; Alemanix

Provincias pulcherrimas, & ad peregrini populi terras turmatim excurrunt: Unde alibi quæ sunt, quæ fiunt, quæ geruntur, norunt quidem exactè, domi verò quæ habentur, ignorant, sua animadvertere non possunt. Verum Candidati nostri dulcissimæ suæ Patriæ, Germaniæ Provincias, earumq; Urbes amplissimas visu dignas, & oras lustrarunt multas, non modò in populosissima Suevia, speciosissima Austria, & Fræconia, sed & in Thuringia, Saxonia, Misnia partim, & Belgia, Westphalia; non quidem ad instar hominum oscitantium, atque erronum, & vagabundorum: qui quasi nundinas adentes oculos pascere, nihilque comparare solent; sed quid ubique locorum, quæ inspexerunt, observatu dignum, vel in Repub. vel hominum moribus judicarunt, de eo adverterunt diligenter, & observarunt sedulò.

Quoniam verò, finis civilis scientiæ non in cognitione tantum, sed  
in

in actione, atque practica consistit, tradente Philosopho: Ac scire in nostra Juris scientia, non est propter scire tantum, sed propter operari, ut Natta J Ctus noster loquitur; Ipsæ quoque Leges in Schola diglutiuntur, in palatio verò digeruntur; Id quod suo exemplo acutissimus Jurisconsultus Arius Pinelus expertus fuit; Quando ego, inquit, post longam legendi Professionem, postque diligentissimam foro navatam operam, in ea sententia sum, quod theoria sine praxi digestam solidamque Juris cognitionem præstare nequeat, praxisque absque theoria periculosa & manca evadat: perpendentes hoc Candidati nostri suum dehinc animum studio adjungere practico apud se constitutum habent.

Et certè quin benè prospereque institutum hoc ipsis processurum sit, in dubium nobis venit nullum: suam enim utroque in Jure Cæsareo, & Canonico præclaram scientiam & eruditionem eximiam, ali-

*Aristotele.*

*Consil. 1.*

*n. 1. & seq.*

*Tom. 1.*

*Ad l. 2. C. de*

*rescind. ven-*

*dit. part. 2.*

*c. 4. n. 2.*

quot speciminibus, tum publicè de gravissimis Juris nostri materiis accuratè subtiliterque disputando, tū utroque rigido in Examine privato & publico, tam eruditè Juris textus sibi adsignatos explicando, quam ad interrogata adpositè respondendo, inclyto nostro Collegio ita probaverunt, ut unanimi omnium Collegiarum sententia digni sint judicati, quibus summi in Utroque Jure honores, insignia & privilegia nuper ab Ordine nostro decēter petita, solenni ac consueto ritu conferri meritò debeant.

Id quod ego amplissimi Collegii nostri nomine actutum præstabo, impetrata prius hanc ad rem licentia Superioris, cui illam jure concessam novimus.

Quapropter vir Reverenda dignitate præcellentissime, Domine Andrea Osiander, S.S. Theologiæ Doctor & Professor celebratissime, Universitatis hujus Cancellarie, & Ecclesiæ Tubingensis Præposite dignissime,

gnissime, vigilantissime, fautor Ordinis nostri maxime, Reverendam dignitatem Tuam Collegii nostri nomine majorem in modum officiosè rogo, ut potestatem mihi concedat, præsentis hujusce Juris Candidatos, viros pietate præstantes, eruditione egregios, ac Juris scientia præclaros, Doctoreis insignibus, titulis ac privilegiis à Cæsareæ Majestatis beneficentia dependentibus honorificè, consueta ac solenni inauguratione, ornandi. Quo promeriti genere maximo, Dignitas Tua Reverenda universo nostro Collegio, non modò rem faciet longè gratissimam, sed idem etiam vicissim ad animi gratitudinem sibi devinctum, obstrictumque habebit perpetuam.

*Potestate isthac impetratâ in instituto sequentem in modum progressus fiebat.*

Impetratâ à dignissimo Domino Cancellario potestate, quam petebamus,

bamus, grati nostri animi significatio dignitati ipsius Reverendæ præstò semper erit, minimè dubia, ad negocium meis concreditum partibus expediendum animosè progrediar, quamprimum ipsi Candidati jurisjurandi religione ad ea se obstrinxerint, quæ ipsa solenni formula Sacramenti illius comprehensa intelligent.

*Dominus Notarius hic recitabat ipsam juramenti formulam; eaq; prælectâ, Domini Candidati digitis Sceptro Academico, ab ipso Notario singulis porrecto, solenniter adpositis jurabant.*

Quod igitur divinæ Majestati gratum, Christianæ Ecclesiæ salutare, ac Reipub. fructuosum, Academiæ huic fortunatum, & vobis Candidatis honorificum, utile, felix faustumque sit, autoritate, quâ nunc fungor, publicâ, nomine & suffragio Collegii nostri Juridici, Te JOHANNEM

NEM

NEM ULRICUM Resch/ Stutgardia-  
num; & Te MICHAELEM Schweibe-  
rer/ Viennensem, in Nomine S. S. Tri-  
nitatis Doctores Juris Cæsarei, &  
Canonici creo ac pronuncio, atque  
tales vos jam creatos & nuncupa-  
tos non modò designo, proclamo  
atque declaro, sed & ab omnibus in  
universum agnosci, haberi & saluta-  
ri volo, jubeo, postulo.

Concedo insuper vobis jus Do-  
ctoralis Cathedræ; tum etiam pote-  
statem consulentibus de Jure respō-  
dendi, Clientulorum causas vestræ  
defensionis viribus committendas  
fideliter probeque agitandi.

Tribuo insuper vobis omnes &  
singulos titulos, honores & dignita-  
tes, præminentias, libertates, privi-  
legia & jura, quibus, Imperatoriæ  
Majestatis beneficio, vel de cōsuetu-  
dine Civilis & Canonici Juris, Do-  
ctores in Orbe Romano ubivis lo-  
corum utuntur, fruuntur, potiun-  
tur, gaudent.

Et quia Majores nostri quosdam

G S ritus

ritus externos in Doctorum renun-  
ciationibus adhiberi voluerunt, quæ  
rei hujus augustæ & magnæ, medi-  
tationem & considerationem exci-  
tant, amplitudinem & dignitatem  
Ordinis nostri ostendunt, ipsisque  
novis Doctoribus notæ quædam  
sunt, & commonefactio publica de  
vita, de moribus & officio ipsorum  
non omittere eas, sed addere mihi  
certum est.

Primum igitur capitibus vestris  
pileum impono rubeum: qui ut an-  
tiquitus præclarum libertatis fuit  
insigne, ita vobis quoque symbolum  
erit, quod à vulgariū hominum  
confortio jam sitis liberi, & nobilio-  
ri ingenuorum ordini adscripti. Ru-  
beus autem color ille præclari ho-  
noris, quem modò adepti estis, splē-  
dorem designat præcipuum, vobis  
labore, ac virtute capitis vestri di-  
gnè decretum.

Loco secundo annulos digitis  
vestris infero aureos, ut intelligatis  
eo vos potiri nobilitatis jure, quod  
Legum



Legum autoritas nostro Ordini ex  
benefica Cæsareæ Majestatis liber-  
tate impertire voluit. Et quia puro  
ex auro conflati sunt hi annuli, ad-  
monent vos, ut cor integrum, & ab  
omni injustitia in dandis, & ob signā-  
dis vestris consiliis servetis purum.

Postremò libros trado vobis a-  
pertos, & trado eosdem clausos. A-  
pertos, ut vobis semper in conspe-  
ctu sit Legum virtus, ne in causarum  
decisionibus & responsis vestris à  
tramite veritatis turpiter aberretis.  
Clausos verò eos vobis trado, ut  
memineritis, quod præter ipsa Juris  
monumenta etiam causarū ratio, ac  
circumstantiæ penitus sint ponde-  
randæ, ut quæ sæpe Jus aliud atque  
aliud desiderant.

Deum ter Optim. Max. æternum,  
immortalem, & omnis boni dato-  
rem, toto pectore rogo, ut dignitas,  
& honor ille, quo jam decorati &  
aucti estis, Clarissimi Domini Do-  
ctores, Ecclesiæ salutaris sit, Reique-  
publicæ


publicæ utilis, Patriæ item ac Familiæ vestræ ornamentum & decus præcipuum, vobisque emolumentum adferat plurimum. Eundemq; iterum oro, ut porrò etiam Academiam hanc, omnis virtutis, omnium disciplinarum liberalium, & honestæ doctrinæ tum sacræ, tum politicæ matrem almam, sua potentia fulciat ac tueatur fortiter. Principem quoque nostrum Clementissimum, Patrem Patriæ, Academiae hujus patronum & conservatorem benignissimum, totamq; Domum, Württembergicam, tum etiam literariæ hujus Universitatis Proceres ac Professores, Studiosos item omnes; Magistratum quoque oppidanum, & totam hanc Civitatem, quin etiam universam Provinciam Württembergicam, clementer protegat, ut de hinc etiam laborum, & Studiorum nostrorum cursus felix sit & prosperrimus, ac fructus tum Ecclesiæ, tum Reipub. adferat uberimos.

Ut


Ut autem, viri Clarissimi, Domini Doctores, Concio hæc augustissima, literatissima, intelligat, quâ sitis instructi Juris scientiâ, debitamque animorum vestrorum gratitudinem cognoscat, partim in excutiendis selectioribus Quæstionibus, partim etiam in agendo gratias, vestris quoque ut fungamini partibus, eo, quo in vos animo sum ac voluntate propensa, paternè moneo.

D I X I.






















Handwritten in blue ink: 卷 789 110




ULB Halle 3  
 005 131 88X  


Handwritten in blue ink: 1017

Handwritten in blue ink: 110





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

3  
FRICHI

I, IC. IN-  
ACADEMIA  
si Antecesso-  
, &c.

ones duæ;  
I.  
ATE, ET UTILI-  
, In promotione duorum  
ndidatorum,

FRICI BAC-  
TOCHIENSIS, ME-  
l. Georgii Wolfgangi  
euburgo-Palatini.  
die 15. Martii  
abita:

II.  
S GRADIBVS, ET  
nciatione duorum Iuris  
litorum,

S VLRICI Resch  
LAELIS Schweiberer Vien-  
die 28. Martii publice  
dicta.

INGÆ,  
dorici Werlini.

M. DC. XVII.

C. H.

